c 2859
N. 1601
G1

Hoyer

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/flammulaeamoriss00hoye


FLAMMVLÆ
AMORIS
S. P. AVGVSTINI
Verſibus et Iconibus
Exornatæ.
Auctore
F. MICHAELE HOYERO
Ordinis Eremit.
S. Auguſtini
Altera editio
auctior
ANTVERPIÆ
Apud Henricum & Corneľ
Verduſſen Anno 1708

TYPOGRAPHI
AD
BENEVOLUM
LECTOREM.

REdeunt ad Te, Benevole Lector, FLAMMULÆ AMORIS S. P. AUGUSTINI, Verſibus & Iconibus exornatæ, & quondam ad Juventutis ſtudia promovenda à *R. P. Michaële Hoyero* Auguſtiniano Typis commiſſæ; ſed modò longè politiores, & ad exactiorem limam revocatæ. Ad Libelli hujus Impreſſionem inducit nos ſtyli cum ſuavitate conjuncta venuſtas, movent nos piæ Meditationes Amoris Divini, inſtigat nos ardens charitas, quæ corda humana his Flammulis incendere nititur, efflagitant quotidiana penè tum graviſſimorum Virorum, tum Belgicæ Juventutis vota: accedit deniquè exemplarium pe-

nuria, atque hoc poſtremùm in primis nos movet. Quare ne Studioſi fruſtrentur ſuo commodo, nec deſiderio ſuo Litterati, viſum nobis eſt denuò eas prœlo mandare. Vale, ac Libello utere: non dolebis empto, ſi tamen prætio ſit æſtimabilis.

Sanctiſſimi ac Æviterni Numinis Invocatio.

N*Vtantem nimis, ah! meam Thaliam,*
Dum ſe tollit humo, levatq́; ſurſum,
Æviterne Deus, perenne Numen,
Subleva, ô bone, ſoſpitante dextrâ,
Impubemq́ue tene, & ſove libenter.
Te ſpirante ſacra vigent Camœnæ,
Haud ſpirante rigent; & Hippocrene
Venâ, te ſine, non fluente torpet,
Nec Pimplæa ſuas profundit undas.
Tuq́ue ô prive Geni, Vialis Heros,
Theſæâ mihi plus fide probate,
Hic ſi te labor auſpicante prodit,
Sic te pagina proſperante crevit,
Vt crepundiolis procul relictus,
Tandem ſe foribus ferat paternis,
Et foro ambulet in meridiano,
Faxis ut benè, proſpereq́ue vertat.

LICENTIA
REV. ADMODUM
Patris Provincialis ordinis Eremitarum
S. P. AUGUSTINI
per Germaniam Inferiorem.

UT FLAMMULÆ AMORIS *per Patrem* F. MICHAELEM HOIERUM *ad pyram* S. P. N. AUGUSTINI *accenſa*, Verſibus & Emblematibus exornatæ, *typis edantur , & in mundum ſpargantur; juxta voluntatem ejus , qui dixit* : Ignem veni mittere in terram , & quid volo niſi ut ardeat ? *facultatem damus. Actum Lovanij in erêmo noſtra Auguſtiniana , &c.*

Fr. IOANNES AUGHEMIUS.
Provincialis.

Reve-

Reverendo & Eruditiſſimo
P. Fr. MICHAELI HOYERO
Flammularum auctori, magiſtro olim
ſuo epigramma hoc
D. C. Q.

DVm canis & Sacrum Michaël meditaris Amorem
Aureli ſimiles foviſti pectore flammas,
Totus amas, & amans ardes, ardenſq; cremaris,
Iam tibi victus Amor languentia deferat arma.
Redde Puer Divine faces arcumq; pharetramq;
In ſe contraxit Michaël tua numina victor.
Iam Pater omnipotens cœleſtia numina cogit,
Muneribuſq; novum properant augere triumphū,
Sacra illi palmam Virtus, laurumque Poëſis
Contulit, & Pallas folijs ornavit olivæ.

L. Lancelottus I. C.

Idem ad Eundem.

IGne ab inexhauſto micuerunt flammulæ Amoris,
Qui tua, quo Aureli, numine corda movet
Major bis gemino venit calor iſte furore
Pectora quo vatum vana tumere ſolent.
Cor tibi flammigerum dedit Auguſtinus & igneis
Spargis ab hoc pharetram quid niſi Amoris habes.

D. C.

D. C.

EBrias Gnidio Deas Falerno,
Aut plenam ſale pruriente, Cluſi
Hoc à limine ſubmoveto Nympham.
Hoc ſe virgineo ferat roſeto
Aut mollis Dryas, aut petulca Naïs?
Hoc libido ſoluta liliêto?
Ah! procul, evirata Muſa,
Et quos parturit hic, & hic Amores,
Et quos Bilbilis, edidítq; Sulmo,
A noſtro procul ite liliêto.
His puro pede ſaltitant virêtis,
Caſti floriduli, comatulíq;,
Magni delicium ætheris, Puelli.
Quare ſi ſapitis petulca turba,
Caſto limine ſubmovête paſſum,
Ne vos alite vindicent ſagittâ
Qui puro pede luſitant Puelli.
Nemo impunè Deos laceſſit unquàm.

Hono-

Honorando in CHRISTO Patri F. MICHAELI HOYERO AUGUSTINIANO.

HOYERE, quoties metra traijcis tua,
Quæ Genitor ipſe vendicet Vatum ſibi,
Plectriſque Pimplææ ſuis attemperent;
Toties rubenti calculos lectos mari,
Indoſque elenchos fundis in ſinum meum:
Morino quod iſte cycnus olim littore,
Præcone me, protractus in diem, modò
Vocaliore fauce cunctos Belgij
Fines, & ultra Belgium quidquid patet,
(Quod augurari conſüeram) perſonat.
Macte ergò tantis Cœlitum dives bonis;
Efferre venam, & cœptâ anhelas tibiâ
Implere perge aures; & hanc promulſidem
Enthuſiaſmi rarioris effice
Aliquando cœna ut ſubſequatur largior.
Sic litterarum Præſides, claſſis Viros
Sublimioris, laudis in viâ, gradu
Sectare preſſo, ſpeque palmam devores.

A P-

APPROBATIO
Cenſoris.

FLAMMULÆ hæ AMORIS quibus S. P. AUGUSTINUS totaliter ardebat in ſponſi ſui dulcedine, verſibus & Emblematibus exornatæ per Fr. MICHAELEM HOYERUM, *Ordinis S. Auguſtini*, quandoquidem doceant nos amore & deſiderio Dei deponere onus carnalium deſideriorum & terrenarum concupiſcentiarum, meritò publicam lucem aſpicient. Datum Antverpiæ, &c.

SEGERVS VAN HONSTVM
Canonicus & Pœnitentiarius Antverp. Librorum Cenſor.

Liber Primus.

Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi.

S. AUGUSTINUS.



S. P. Auguſtinus.

MAGNO PATRI

S. AUGUSTINO

ΑΝΑΘΗΜΑ.

I.

MAGNE PATER, ſacræ decus im-
mortale palæſtræ,
Accipe Melpomenes dona puſilla meæ.
Dona puſilla quidē, pretium ſi carmina præſtant;
Ingenuæ verùm ſymbola mentis habe.
Plura mihi, ſcis iſta, PATER, *polus invidet, atq;*
Natura eſt ſtudijs penè noverca meis.
Nec mihi Calliope, nec ſtirps Latonia, ſacras
E gemino ſudit vertice, fontis aquas.
Et quamvis ſpatio me Parca coërceat iſto,
Lixaq; ſim caſtris non niſi Phœbe, tuis:
Hæc tamen irrumpo deducere carmina, promam
Non malè grata oculis ſi, PATER *alme, tuis.*
Irrumpo, & ſcatebras Vatum ſubrimor, amicant
Si nullus lympham ſuggerat uſque labor.
Utq; aliquid poſſum depromere, protinus aio;
Danda meo ſunt hæc paucula dona Patri.
Sed veluti magnos nequeunt qui tangere Divos,
Ante imos, urunt vilia thura, pedes;

 Sic

Sic tam grande etiam non auſus tangere numen,
Hæc pedibus ſterno qualiacumque tuis.
O! ſi (parce, PATER *, votis puerilibus) ô! ſi*
Pegaſis, alveolo divite, vena fluat:
O! ſi Pimplæo reſidens in vertice Phœbus,
Noſtra Aganippæis ora rigaret aquis:
AUGUSTINE *, tuos canerem ſine fine calores;*
Hanc meus ad metam fervidus iret equus.
Seraphicum canerem citharâ potiore furorem,
Entheaq́; æthereo corda peruſta rogo.
Nunc ægræ Matris lacrymas, nunc lubrica vitæ
(Sed raptim, & propero carmine) fata tuæ:
Turgentes animos, & inexorabile pectus,
Et Labyrinthæo devia corda dolo.
Hæc canerem, ſed dum canerem, PATER*, iſta, volaret*
Altiùs ingenium, te duce, fortè meum.
Creſceret & ſtudium, laudumq́; cupido tuarum;
Heu! quòd tam noſtro eſt parvus in ore ſonus.
Sed quicumque tamen, tibi ſit, tibi detur oportet,
Quidquid erit, ſacris hoc erit omne tuis.
Ah! quis te quondam ſic ſubſannaſſe Parentem?
Quis data tot credat ſibila plena jocis?
Téne, inquam, miſerande Puer, téne optima Matris
ſic riſiſſe, fides vera ſit, ora tuæ?

Hoc

Hoc ſoboles tam cara nefas? velabat ocellos
Hæreſis inde furor, temporis inde viror.
Damnabit tamen iſta brevi maturior ætas,
Et dabit hæc, pictas murice, ſpina roſas.
Ver hyemem, tenebraſq; Aurora fugabit, & iſtas,
Quæ malè quaſſa gemit cymba, relinquet aquas.

Recordari volo tranſactas fœditates meas, non quòd eas amem, ſed ut amem te, *Deus meus.* 2. *Conf. c.* 1.

Non erubeſco, *Deus meus*, Confiteri tibi in me miſericordias tuas, & invocare te, qui non erubui tunc profiteri hominibus blaſphemias meas, & latrare adversùm te. 4. *Conf. c.* 16.

Sine, confitear tibi decora mea in laude tuâ, & da mihi circumire præſenti memoriâ præteritos circuitus erroris mei, & immolare tibi hoſtiam jubilationis. 4. *Conf. cap.* 1.

Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviſcar mala mea, & unum bonum amplectar te? 1. *Conf. c.* 5.

MIHI ACCLAMABATVR PRÆ MVLTIS COÆTANEIS, ET CONLECTORIBVS MEIS. 1. Conf. cap. 17.

Qualis ab Eoïs ſurgens penetralibus, almum
Puniceo pandit Phoſphorus ore diem:
Qualis fœta novo genialis Flora marito,
Florum reginas, parturit alma, roſas:
Qualis in aërio Cypreſſus vertice Pindi,
Præ reliquis, celſam tollit in aſtra caput;
Talis eras, ô Magne PATER, *vernantibus annis,*
Sidoniæ princeps, ſaxáq́, decuſáq́ ſcholæ.
Vivaci teneros ſuperabas indole myſtas,
Vt præit exiguas Cynthia plena faces:
Vt ſuperat viles Erythreïa bacca lapillos,
Vt figuli vincit lamina fulva lutum.
Primus Mnemoſynes doctâ certare ſub umbrâ;
Primus obire ſacræ plectra canora lyræ.
Si fors Auſoniŷ vellet divina Poëtæ
Carmina, vel Lyrici texere vatis opus:
Ibant tam facili deducta poëmata filo,
Vt geminum meritò vincere poſſet ebur.
Si rapidæ ſtaret jaculari fulmina linguæ;
Vis Suadæ, reliquis omnibus horror erat.

Iurabant

Iurabant vacuaſſe ſacram Pimpleïda, lauros
A cunis omnes promeruiſſe ſuis.
Luxuriem primâ ſpectans hanc Mater in herbâ;
Neſcio quos fructus hæc, ait, herba dabit:
Quos fructus ager hic ſpondet, vix audeo fari;
Et, ſi fortè velim, vix mihi danda fides.
Nam viror hic, tenero priùs etſi pullulet arvo,
Spes tamen ille meas; & mea vota præit.
Sæpè manu parvum prendens, Mi mellee, dixit,
A teneris rectas illicò curre vias.
Si cultor primo virgam malè torſerit ævo;
Facta arbos, talis poſteà ſemper erit.
Implumem quòd alit ſerpente Ciconia natum,
Grandior hic ſimiles appetit ore cibos.
Et quia fert canibus paſſim, crucibuſq; relictis
Vulturius pullis pabula cruda ſuis:
Hinc illi ſumptis ubi ſindunt aëra pennis,
Dilaniantq; cruces, dilaniantq; canes,
Sic teneris quidquid benè, vel malè ſuêvimus annis,
Vix ullum quondam depoſuiſſe ſcies.
Quare, Nate, vide ne te malus auferat error;
Et quò plura potes, plura pericla time.
His plerumq; Parens acuebat pectora dictis,
Aſpiciens tantas, anxia, mentis opes.

Prodigium quoties timuit pavitq́; magiſter;
Horruit exoriens tota palæſtra jubar!
Nec temerè, capiebat enim variabilis ætas
Seminat temporibus pernicioſa ſuis.
Grandia libabat ſtudijs elementa futuris;
Sed furialis in hac Pallade peſtis erat.
Peſtis erat moritura brevi; puduiſſet in iſtis
Sordibus, ætatis ducere fila ſuæ.

Ego imbecillâ tunc ætate diſcebam libros eloquentiæ, in quâ eminere cupiebam fine damnabili & ventoſo, per gaudia vanitatis humanæ. 3.*Conf. c.*4.

Et quid mihi proderat, quòd omnes libros artium, quas Liberales vocant, tunc nequiſſimus malarum cupiditatum ſervus, per meipſum legi, & intellexi? 4.*Confeſſ. cap.*16.

Sine me, *Deus meus*, dicere aliquid, & de ingenio meo, munere tuo, in quibus à me deliramentis atterebatur. 1.*Conſ.cap.*17.

Major eram in ſcholâ Rhetorum, & gaudebam ſuperbè, & tumebam typho. 3. *Conf. cap.*3.

Iſta omnia *Dei mei* dona ſunt; non mihi ego dedi hæc, & bona ſunt, & hæc omnia ego. Bonus ergo eſt qui fecit me, & ipſe eſt bonum meum, & illi exulto bonis omnibus quibus etiam puer eram. 1.*Conf. cap.*20.

QVOT, ET QVANTI FLVCTVS TENTATIONVM POST PVERITIAM IMPENDERE VIDEBANTVR. 1. Conf. c. 11.

QVàm mihi dulce fuit, ſub primæ tempora vitæ,
Luxuriante vehi, per vaſa ſalſa, rate!
Vix puer exieram caræ Genitricis ab alvo
Et tener in parvo corpore ſanguis erat;
Libertas cùm prima ſuis me cepit ocellis,
Aſtrinxitq; rudes in nova jura manus.
Tunc juvit terris dare lintea plena relictis;
Et quò ducebant Cyprus, & aura, ſequi.
Credite, viſa mihi maris ira süavis; & æſtus
Et ſcopulos inter currere, dulce fuit.
Nec furor hic brevis, aut unum mihi manſit in annum;
Sex vitæ rapuit integra luſtra meæ.

Ac quaſi verſarem longos Ixionis orbes,
In proprijs hæſi ſic ſine fine malis.
Effera vis mentis quoties me traxit ad aſtra;
Blanda Venus quoties Tartara ad ima tulit!
Iamq́; nihil Genitrix magis his reſtare videbat,
Quàm noſtrũ haurirent undaq́; morſq́; caput.
Sic mihi contritus vitæ modus, has mea puppis,
Obruta ſic miſerâ clade, cucurrit aquas.
Tamq́; ſecuta gravem fuit hæc veſania morbum,
Vt loca demorerer, quæ mihi funus erant.
Ipſa mihi mortem Cypris dabat, ipſa voluptas,
Nec poteram tantis ullus abire malis.
Ardebam cautes, ſcopuloſq́; inſanus, & illas,
In quibus exciderat naufraga puppis aquas.
Effugit ad turrim, vel quo valet abditur antro,
Vngues dum milvi fortè columba videt:
Et vitat turdus, ſi quæ videt oblita viſco:
Et vitat caſſes, ſi videantur, aper:
Nec pavidæ ſubeunt ſylvas, nec flumina cervæ,
In quibus eſſe ſciunt agmina dira canum:
Ipſe tamen ſolitis lætabar ineſſe periclis,
Inq́; dies fato me tumulare meo.
Vtq́; inter flammas, ſerpentem carmina dicunt,
Neſcio quem vitâ delicijſq́; frui:
Sic ego tot mortes, tot & inter fata, nefandæ
Lætus eram vitæ volvere penſa meæ.

Appropinquabam uſque ad portas mortis, & ne me ipſæ caperent, tu feciſti. Sciebas tu quidem, *Domine*, ſi tunc mors me occupaſſet, infernus animam meam ſuſcepiſſet; ſed tua miſericordia, & tua gratia prævenit me. *Sol.c.* 18.

Domine, Deus meus, quas miſerias expertus ſum, ut in hoc ſæculo florerem linguoſis artibus ad honorem hominum, & falſas divitias famulantibus. 1. *Conf. c.*9.

Quòd ſi & in iniquitate conceptus ſum, & in peccatis mater mea in utero me aluit; ubi, oro te, *Deus meus*, ubi, *Domine*, ego ſervus tuus, ubi aut quando innocens fui? 1. *Conf. c.*7.

Ecce, *Domine*, iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt, & niſi tu, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, dexteram tuæ majeſtatis ſupponas, mergi cogor miſerabiliter in profundum. *Med.c.* 39.

Ecce cum quibus vixi à die nativitatis meæ, quibus & ſtudui, quibus & fidem ſervavi. Ipſa me, quæ dilexi, ſtudia damnant; quæ laudavi, vituperant. *Med.c.*3.

II. Quid!



Quid enim ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? S. Aug. 4. Conf. c. 1.

II.

Quid enim ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? *S. Auguſt. 4. Conf. c. 1.*

QVò properas, inſit mater, latet anguis in herbâ:
Illa licet vireat, ſupprimat ille caput.
Ah! mi Nate redi, referes diſpendia tecum;
Quanta ſub hoc, eheu! culmine monſtra latent.
Hoc coluber, prout ipſe vides, ſtabulatur in antro:
Hoc millena perijt naufraga turba jugo.
Hîc flamma, hîc glacies, hîc ſedes hoſpita mortis:
Hoc nullus toto peior in orbe locus.
Non ſic Euboicus fugiendum cautibus æquor,
Turbida quas cæcis occulit unda vadis:
Non ſic ſunt Syrtes, non ſic fugienda Charybdis,
Et canibus multum Scylla timenda ſuis:
Quàm primò fugienda tibi ſunt protinus ævo,
Hæc fato ſemper ſaxa parata tuo.
Quid monitus, quid me torvâ ſic fronte tuêris?
Tu rapiêre mihi, nec potero ipſa loqui?
An ſi quis perdat domibus pretioſa recluſis,
Clamet, ego amiſſo te, quaſi ſtipes ero?

Surdior ille freto, tantæ monita aurea Matris
Reſpuit, & mortis ſcandit, aditq́ jugum.
Ferreus has lacrymas, & inexorabilis audit:
Nec mollit rigidum tam pia cura jecur.
Proterit & blandæ curas, & juſſa Parentis;
Et ſcelerum impurâ nobilitate tumet.
Nec vitijs meta una fuit, Venus additur; ignem
Hæreſis hinc animo ventilat, inde Venus.
Vidiſti tecti regnantes culmine flammas?
Ardebat talis dura per oſſa furor.
Deploratus erat (quid enim niſi fata manebant?)
Ignibus, heu! tantis, ulceribuſq́ jacens.
Æger erat, morbuſq́ animo, flammæq́ placebat,
Sit propè ſupremum certus obire diem.
Vt ſcarabæus amat ſordes, ut noctua noctem:
Quàm placet hæc animo, tam placet ille ſuo.
Quæ, bona Mater, erat tantis ſpes deniq́ rebus?
Quis medicâ tantum tolleret arte malum?
Nullus erat, furioſus opem procul abjicit omnem:
Qui moribunda levet pectora, nullus erat.
Ne mentem demitte tamen, furor iſte quieſcet:
Qui leo ſic rugit, mitis ut agna gemet.

Quoties ego peccavi, & iſte draco paratus fuit deglutire me, ſed tu *Domine Deus meus*, defendiſti me! *Sol.c.28.*

Deſ-

Deſcendi uſque ad portas inferni, & ne illuc intrarem tu me tenuiſti. *Ibid.*

Erravi, & recordatus ſum tui. Audivi vocem tuam poſt me, ut redirem, & vix audivi propter tumultus peccatorum. Si malè vixi, ex me mors mihi fui, & in te reviviſco. 12.*Conf.c.* 10.

Fideliſſime paſtor, ovem dudum errabundam per abrupta montium, per præcipitia vallium multis, varijſque quæſijſti laboribus. *Med. c.* 8.

Tu DEUS vidiſti de longinquo lapſantem in lubrico. *S. Aug.* 4. *Conf. c.* 2.

NOn ſic Heliades percuſſum fulmine fratrē,
Nec Clymene natum flevit in Eridano:
Non ſic corporibus Niobe frigentibus hæſit,
Cùm fuit in triſtem verſa dolore petram:
Non ſic Andromache crudelia fata mariti,
Aut miſſum aërijs Aſtyanacta iugis:
Quàm Nati flevit Genitrix miſeranda ruinam,
Quem Venus, & mentis vulſit ad ima tumor.

Luciferos

Luciferos ſeu Phœbus agat per inane jugales,
Delia ſublustres ſeu moderatur equos:
Aſſiduò tepidas oculo pluit ubere guttas,
Qualiter æſtivis Alpibus unda cadit.
O! Nate, exclamat, pia Matris ſarcina quondam,
O! patris, & vultus verior umbra mei.
Quò te palantem ſalebroſa per invia raptat,
Mille per amfractus frigida ſtella Senus?
Quò te præcipitem mala ſors? ô! deſpice quantũ;
Ni properè remeas, te manet exitium.
Quam fugis? annè tuam quæ flagitat anxia vitã
Siſte pedem, quæ te fuſca volutat avis?
Pulſus ob invidiam Dominâ Dux inclytus urbe,
Obſedit muros, magne Quirine, tuos.
Illa potens rerum, ſub cujus debuit olim
Utraque pars mundi ſubdere colla jugo,
Æternum jam funus erat, ni provida mater
Molliiſſet lacrymis ferrea corda ſuis.
Qui cives ferro, patriam qui perdere flammis
Ardebat, matris non tulit ora piæ.
Quàm ſaperes, monitis velles ſi talibus uti,
Et facili blandas accipere aure preces.
Nate, redi, quæ te miſerum dementia vexat?
Quò te circumagis turbine? Nate, redi.
Res non parva, polus tibi luditur: illius ergò
Sedula cedentem ſubſequor uſque gradum.

Lu:

Lux mea, Nate, redi: per, ego, te, viſcera, & illa
Quæ roſeis toties hauſta ſuêre labris,
Oro, ſi quis ineſt precibus locus, exue mentem,
Vſque adeò Matri ferreus eſſe potes?
Quàm vereor (fallant Superi) ne ſtamine rupto
Occumbam gelidâ flebile pondus humo.
Tum te dentato lacerabunt carmine paſſim;
Materniq; (malùm!) funeris author eris.
Duritiâ ut ſilicem ſuperes, tunc flebis, & aſper
Non tibi ſic, dices, Mater habendus eram.
Quid fuit ut patulâ diffunderet ilice vitam
Ieſſeides? patri nempè rebellis erat.
Cereus at præcepta Iacob quia ſarta parentis
Tecta habuit, quantas hinc tulit unus opes?
Res eſt, crede mihi, longè gratiſſima Divis,
Quando piæ pendet matris ab ore puer.
Vror amore tui, miſeræ nec reddis amorem?
Vult pius, eſſe novi ſemen amoris, amor.
Si vitio vertis quòd amem, quòd te unica curem;
Naturam, & Superos argue, crimen erunt.

Non videbam voraginem turpitudinis, in quam projectus eram ab oculis tuis. 1. *Conf. c.* 19.

Ambulabam per tenebras, & lubri-cum

cum, & quærebam te foris à me, & non inveniebam *Deum* cordis mei. 6. *Conf. c.* 1.

Reverberaſti infirmitatem aſpectus mei, & inveni me longè eſſe à te in regione diſſimilitudinis. 7. *Conf. c.* 10.

Eram inobediens amore ludendi, amans in certaminibus ſuperbas victorias, & ſcalpi aures meas falſis fabellis, quò prurirent ardentiùs. 1. *Conf. c.* 10.

Quærebam quod amarem, & oderam ſecuritatem, & viam ſine muſcipulis. 3. *Conf. c.* 1.

QVOTIES, VT CANIS, *REDII AD VOMITVM; ET QVASI SVS, REPETII VOLVTABRVM.* Med. c.3.

Arcus pudoris cultor, & inſolens,
Per æſtuantis prata licentiæ
Dum ferrer & frenis ſolutis,
Et ſine Dis, ſceleratus infans,
Me nemo, quà ſol innumerabiles
Accendit oras, fœdior extitit,
Non membra dedignatus inter
Setigeras recubare ſcrophas.

Pul-

Pulchrum, & decorum eſt à teneris Deo
Servire; pluchrum eſt, crede puertia,
Caſtum Tonantis ſi timorem
De tenero mediteris ungui.
Deum potentem matris ab ubere
Quicumq; puro pectore diligit,
Hunc Arbiter iuſtus beabit
Innumero numero dierum.
Si fortè tecum blande Cupidinis
Libio creſcat, non poteris ſinu,
Ætate multâ contumacem hanc,
Quando voles, abolere peſtem.
Hæc Hydra ſectis fortior artubus,
Si fortè ferro perdere flagitas,
Per tela, per ſtrages ab ipſo
Sumet opes, animoſáq; fato.
Mollis, quid ergo deſidiâ ſedes?
Labuntur anni fluminis in modum,
Citis Iuventas & quadrigis
Nunquàm aliàs reditura currit.
Eſt ut viro vir divitias magis
Per fas, nefáſq; iniurius augeat,
Ceras avorum iactet ille,
Et titulos generoſiores.
Hic viſat antehâc immemorabiles
Telluris oras, ut popularibus

Laſſus

Laſſus viarum ferre poſſit
Divitias ſceleratiores.
Cunctis ſed æquâ lege neceſſitas
Ad ſe citatis injiciet manus,
Vitæ ſacramento ſolutos
Transferet in tumulumq́ cunctos.
Fatalis enſis ſtat ſuper omnium
Cervice pendens continuò, at (dolor!)
Commune fatum, carminiſq́
Inviolabile jus tremendi
Nihil pavemus; fixa tamen dies,
Prætore coram, dum choreas leves,
Dum ſerta, dum ſtultos amores
Poſcimus, immediata ſiſtit.

Confiteor tibi beneficia tua magna, quoniam eripuiſti me de inferno inferiori ſemel, & ſecundò, & tertiò, & centies, & millies; & ego ſemper ad infernum tendebam, & tu me ſemper reducebas. *Sol. cap.* 18.

Velle meum tenebat inimicus, & indè catenam mihi fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudin

dini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. 8. *Conf. c.* 5.

Recido in hæc, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multùm fleo, ſed multùm teneor. Hìc eſſe valeo, nec volo; illic volo, nec valeo, miſer utrobique. 10. *Conf. cap.* 40.

Novem ferè anni ſecuti ſunt, quibus ego in illo limo profundi, ac tenebris falſitatis, cùm ſæpè ſurgere conarer, & graviùs allìderer, volutatus ſum. 3. *Conf. c.* 11.

Maximè me recreabant amicorum ſolatia, cum quibus amabam, quod pro te non amabam, & hoc erat ingens fabula, & longum mendacium, cujus adulterinâ confricatione corrumpebatur mens noſtra pruriens in auribus. 4. *Conf. cap.* 8.

III. Reti-



Retinebant me nugæ nugarum, et vanitates vanitatum. S. Aug. 8. Conf. c. 11.

III.

Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum. *S. Aug.* 8. *Conf. c.* 11.

QVàm ferus eſt maternus amor: Phaëtontia frena
Solverat emeritus cærula Mater equis:
Quot frondes fruticeta gerunt, quot paſcua flores
Ignea tot ſuperis aſtra fuêre choris.
Purior argento Phœbe radiabat, & auro,
Menſtrua, coniunctâ, cornua fronte gerens.
Hanc liquido infelix MONICE *ſuſpectat ocello;*
Infelix, lacrymis obruta pœnè ſuis.
Nunc Hyadas, Libycamq́ue feram, immanemq́ue Draconem,
Innocuam Erigonen, damnificumq́ue Canem,
Mille, & mille alias oculo legit indice formas,
Area quà medium pandit aperta polum.
Miratur vaſti ſinuoſa volumina cœli,
Tot depicta cavo fornice ſigna ſtupet.
O! patria, ô! Divûm ſedes, ô! aurea Tempe,
O! deſiderij, clamitat, aula mei!
O! tibi quàm dextro ſors Hercule contigit, ævum
Quiſquis in Elyſiâ ſede beatus agis.

O! Nate

O! Nate (abrumpit ſurgentem lacryma vocem)
Quid terræ adrepis languide? linque ſolum.
Hæc adeò cupidè deamare crepundia? bullas,
Et nubes avido prendere velle ſinu?
Iſta decent teneras pluſquam puerilia mentes;
Temporibus non ſunt hæc modò digna tuis.
Heu! quoties mentita fui mihi, vana tot inter
Dum te reſpicio ferre, referre gradum:
Dicens, Iam ſapiet, ſitis hæc quâ perditus ardet,
Iam velut affuſa flamma peribit aquâ.
Miſcentur duris nonnunquàm gaudia rebus;
Miſcentur lætis, ſicut amara, jocis.
Nec locus infelix adeò eſt, quin poſſit in illo
Creſcere poſt duros, utilis herba, rubos.
Nónne facit Notus, ut vigilent, atque æquora, nautæ?
Non faciunt cautum lubrica ſaxa gradum?
Et quamvis habeat cauſſas modò mille ruinæ,
Certè etiam cauſſas mille ſalutis habet.
Poſtquam dura tuis feci convicia noxis,
Blandior ærumnis ſic ego ſæpè meis.
Ah! quàm, Nate, tibi caderet ſors triſtis, ab alto
Si ſemel heu! rueres ad Stygis ima, polo.
Si cœnum hoc rutilis præfers malè ſedibus, iſtas
Si malè, quiſquilias, diligis, ante Deum.

Dij Magni, meliora; manus ô pôrgite, voto
Infelix mulier ſupplice poſcit opem.
Lactea cycnæis candentior orbita plumis,
Virgineum intactâ quæ nive lumen habes;
Quà Superis iter eſt ad regia tecta Tonantis,
Tam puro nunquam tramite Natus eat?
Non unquam æquor eat tam claris nobile gemmis?
Non petet auricomas devius erro vias?
His dictis, geminum madidis mare nabat ocellis,
Suſpirans miſerum, pallida mater, Itym.
Quò ſe cumque ferat, videt argumenta doloris;
Et dolor eſt terram cernere, & aſtra dolor.

Spes mea à juventute meâ, ubi mihi eras; & quò receſſeras? Ambulabam per tenebras, & lubricum, & quærebam te foris à me, & non inveniebam DEUM cordis mei. 6. *Conf. c.* 1.

Miſer, cor meum quod tibi ſoli debui toto amore, totoque affectu impendere, vanis dedi; & ideò vanus effectus ſum, dùm vanitatem dilexi. *Sol. c.* 1.

Ubique vani, ac popularis gloriæ ſectantes inanitatem, uſque ad theatricos plauſus, & agônem coronarum fœnea-

rum, & intemperantiam libidinum. 4. *Conf. c.* 1.

EXCESSERANT CAPVT MEVM VEPRES LIBIDINVM, ET NVLLA ERAT ERADICANS MANVS. 2. Conf.c.3.

PEnelope quondam bello viduata biluſtri,
Tantas deflevit nocte, dieque moras.
Diruta fumarant Phœbeæ mœnia Troiæ,
Lectaque erat pingui plurima meſſis humo:
Pergama reſtabant miſeræ, Tritonia carum
Dum ſuccenſa rotat, per duo luſtra virum.
Exciderant mœrore genæ, decor iverat oris,
Plurimaque in vultu ruga ſenilis erat.
Ah! ſi vera fides augentibus omnia Muſis,
Quàm vitæ ſors eſt huic benè iuncta meæ!
Et mihi ſæva olim Lacheſis tornavit, & illi,
Vt video, ſimili ſtamina ſurva manu.
En ego deficio lacrymis, nec nubila plures
Fundit aquas Iuno, flumina fundit Hyas,
Quàm triſtes fudêre oculi, quibus arida fontes
Vlteriùs, ſicco gurgite, vena negat.
Sic (reor) aſtra volunt; Superi moderamine certo
Et nos, & vitæ tempora cuncta regunt.

S

Si poſt luctificos ſoles, velut aurea Iacob,
Sic nobis olim ſuavior aura micet.
Fleverat hœdino maculatam ſanguine veſtem;
Et nati falſas fleverat exequias.
Quem fratrum rabies inſontem (ô crimina) parvo,
Mancipium properis fecerat, ære, viris.
Ah! ubi ſancta fides, dum patri, purior agno
Obſequitur, tali ſi perit invidia?
Auſi etiam verbis patrium mulcere dolorem;
Et falſo infames imbre rigare genas.
Cedite, dicebat lacrymans, vox ulcus acerbat
Iſta meum, medicam plaga perhorret opem.
Deſcendam Patrum nunquàm huc rediturus ad umbras,
Tam crudam plorans, per loca mœſta, necem.
Crudelis fera (claudebant ſuſpiria linguam)
Ebria quæ noſtro ſanguine ludis, ait.
Ingluvies pretioſa mihi! quin eminus haſtâ,
Aut ſtricto cecidit cominus enſe fera?
Hæc genitor lamenta dabat, Memphitica nati
Neſcius ad nutum ſceptra futura ſui.
Sceptra Deus, faſces, aurumq; parabat; & oſtrũ:
Et quis ad hæc iſthinc diceret eſſe viam?
O! ſi depoſitam rota me tam dextra levaret,
Et mihi par unquam ſplendeat orbe dies.

Non peto ſulgentes Phario de littore baccas;
Non peto blanditias, Nile jocoſe, tuas,
Natus ut hæc habeat? flāmis daret arida ligna,
Iſtas, nequitiæ, qui ſuperaddet opes.
Unus oro, liceat fuſis erroribus, ipſum
Aſpicere ad magni pergere caſtra Dei.
Quid ſibi vult? toto ſubſultant corpore venæ,
Candidaq; argutum concinit omen avis?

Exhalabantur nebulæ de limosâ concupiſcentiâ carnis, & ſcatebrâ pubertatis, & obnubilabant, atque obfuſcabant cor meum. 2. *Conf.c.*2.

Conſuetudo adversùs me pugnantior ex me facta erat, quoniam volens, quò nollem perveneram. 8. *Conf.c.* 5.

Jam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto hæſitans, aviditate fruendi præſentibus, dum dico; Cras inveniam, ecce manifeſtum apparebit, & tenebo. 6.*Conf.c.*11.

QVAM LONGE EXVLABAM A DELICIIS DOMVS TVÆ, CVM ACCEPIT IN ME SCEPTRVM, ET TOTAS MANVS DEDI VESANÆ LIBIDINI. 2. Conf. c. 2.

Dum

DVm Circe, dum me traheret Venus improba,
Inferijs eſſem proxima pōpa focis;[iamq́;
Talia, ſi rectè memini, ſic ſæpè locutus,
Neſcio quis, noſtrâ mitis in aure, Deus.
Effuge, dum tibi reſtat adhuc ſpes ulla ſalutis,
Et tam longævo ſubtrahe colla iugo.
Felix dum primæ rapiunt præcordia flammæ;
Qui ſua tam tetris eripit ora malis.
Ex facili ſanat varios medicina dolores,
Cùm mala per longas non ſenuêre moras.
Aſt poſito veniat Chiron ſi ſerior ægro,
Tunc opus & ferri, tunc opus ignis erit.
Tu quoq́; pelle novam facili medicamine peſtē;
Ni facias, vivet, te quoque maior erit.
Scis Venere illicitâ Ieſſæus fœdera lecti
Cur læſit, quare turpe patravit opus?
Viderat Vriæ ſociam ſine veſte petentem,
Sole ſub ardenti, labilis amnis aquas:
Vt vidit, perijt, ſic peſſimus adfuit ardor;
Sic regis læſit fœda ſagitta fibras.
Quot lacrymis ſcelus hoc, quantis res vocibus illa
Deploranda tibi poſteâ, Magne, fuit!
Non ex difficili poteras hanc perdere flammam,
Poſtmodò vi propriâ fortior illa fuit.
Quare quò graviùs, Iuvenis, tibi luditur, iſto
Acrius & vitam, reſq́; tuere tuas.

Hæc, Pari, quàm velles fugiſſe incendia, tuque
Externos, fractis poſtibus, ulte toros.
Si ſaperet, piſcis vitaret retia, nec tam
Pendula fallaci crederet ora cibo.
Serò pavet, cuius cervix iam nuda ſub enſe;
Ille cavet cautè, qui priùs illa cavet.
Finge etiam (dicebat & hoc mihi ſæpè) quod atro
Te Mors ungue trahat, quid tibi mentis erit?
Protinùs occurrent vitia horrida plurima vitæ;
Et mens quæ toties ludificata Deum,
Ante oculos caræ genitricis ſtabit imago;
Et gemitus, dempto quos tibi fine, dedit.
Advenient viſu immanes, Acherontis ab antris,
Quæ rapiant avido viſcera dente, feræ.
Hæc ubi ſpectabis, Superi, mihi parcite, dices,
Parebo, & veſtro iam dabo colla iugo.
Deflebo cunctis, quibus hîc ero, fœda diebus;
Cunctis, illa mihi, noctibus horror erunt.
Iſta procul dices dubio; ſed ferrea forté
Omnia mors ſurdis auribus iſta bibet.
Aut his, aut alijs, mentem mihi ſæpiùs olim
Affari ſupero viſus ab axe Deus.
Nulla tamen tantæ ſaties, nec clauſula cladi,
Naufragio finis, meta nec ulla meo.
Sed Tityi in morem ſemper moriebar, ab illâ
Vt poſſem rurſus ſpontè perire nece.

Exul

Exul eram, miſeroſque, polo ſecluſus agebam,
Ah! nimis extremo perditus orbe, dies.
Nec me tot monitus poterant, nec gaudia cœli,
Ad patrios, bona mens, nec revocare focos.
Sed quaſi veſana repleſſem pectora leto;
Talibus ardebam funus obire locis.

Obſurdueram ſtridore catenæ mortalitatis meæ, & ibam longiùs à te, & ſinebas; & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & tacebas. 2. *Conf. cap.* 2.

Circuivi vicos, & plateas civitatis huius mundi, quærens te, & non inveni: quia malè quærebam foris, quod erat intus. *Sol. c.* 31.

Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. 9. *Conf. c.* 1.

Dulce mihi ſit, Domine, confiteri tibi, quibus internis me ſtimulis perdomueris; & quemadmodùm me complanaveris humilitatis montibus, & collibus cogitationum mearum, & tortuoſa mea direxeris, & aſpera lenieris. 9. *Conf. c.* 4.



Dimiſiſti miſericorditer, ſeruans me ab aquis maris plenum execrandis ſordibus vsq. ad aquam Gratiæ tuæ. 5. Conf. c. 8.

IV.

Dimiſiſti miſericorditer, ſervans me ab aquis maris plenum execrandis ſordibus uſque ad aquam gratiæ tuæ. 5. *Conf. c.* 8.

SI mihi Smyrna ſuas paullum cõcedere lauros,
Si vittas poſſet Mantua docta ſuas;
Cuncta priùs canerem ſubverſæ funera Troiæ,
Et Phrygij clades, exſiliumq́ꝫ Ducis:
Quàm noſtræ lapſus, quã vulnera prima Iuventæ
Quæ paſſus peregrè funera, quæq́ꝫ domi.
Det mihi Pierios Phœbus cum fontibus amnes,
Det non dura ſuam Calliopæa lyram;
Magne Deus, *nunquã potero tamẽ ore referre,*
Poſt tot fata dabas quæ mihi dona manu.
Vſus es (hòc omnis ſtupuit telluſque, poluſque,
Nec pietas animo eſt hæc abitura meo)
Iret in infandas dum præceps cymba ruinas,
Aut nullo, aut modico fulminis igne tui.
Sæpiùs & media cœli, pax viſa, ſub irâ;
Et maris in medio, viſa, furore quies.
O! quoties tacitam mihi Gratia dixit in aurem;
Quid trahis in tantis ſordibus uſque moras?

Proÿce te cœlo, gremio te proÿce noſtro,
Hoc tibi perfacilem tendit, & iſtud opem.
Nil hîc cunctandum, propera, Deus odit inertes;
Dum licet è mediis eripe corpus aquis.
Eripe corpus aquis, levior quid qualibet aurâ
Cras toties iſtud, tu tibi dicis, agam?
Nónne vides, quanti rapiant modò carbaſa venti,
Quas animi rabies effera volvat aquas?
Fac citò te damnes; ſtudeaſque eradere vitæ
Effrenæ furias, fœdaque probra tuæ.
Vna (quid hoc levius?) vincunt ſuſpiria cœlum,
Iratum placat lacrymula una Deum.
Scis Regem tacito furto, ſcis cæde cruentâ
Et maculaſſe manus, & maculaſſe torum?
Impermiſſa ſibi ſed poſtquàm gaudia, & atras
Sanguine reſcivit, Vate canente, manus,
Triſtis & illacrymans, Peccavi dixit; & uno
Hoc dicto abſolvit nequiter acta polus.
Quod Rex tam magnus fecit, facere ipſe negabis?
Quod ſceptrum decuit, res tibi turpis erit?
Quem turpẽ ſequeris, ſequere ocyùs atq; dolentẽ:
Et gravis, & dura eſt rebus in hiſce mora.
Vincetur lacrymis cœli clementia, tantùm
Effice te videat pœnituiſſe tui.

Talia

Talia dicebat non uno tempore, ſpurcas
Currentem ſervans tot ſcelerum inter aquas.
Donec me caſus extra Dea ſuſtulit, atque
Naufragio oſtendit littora tuta meo.

Diligam te, *Domine*, & gratias agam, & confitebor nomini tuo, quoniam tanta dimiſiſti mihi mala, & nefaria opera mea. 2. *Conſ. cap.* 7.

Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quòd peccata mea, tanquàm glaciem, ſolviſti. *Ibid.*

Viluit mihi repentè omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam eſtu cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam, ut ad te redirem. 3. *Conſ. cap.* 4.

Meritò mihi ſpes valida in illo eſt, quod ſanabis omnes languores meos, per eum qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis; alioquin deſperarem. 10. *Conſ.* c. 43.

Acta mea formidinem, ſed tua ingerit pietas fiduciam: tua hortatur benignitas, mea tardat malignitas. *Med. c.* 2.

NON DEFICIAM, DEVS, IN CONFITENDO TIBI MISERATIONES TVAS, QVIBVS ERVISTI ME AB OMNIBVS VIIS MEIS PESSIMIS. 1. Conf. c. 15.

MAgne Deus, ſine, *luce palàm mea crimina pandam,*
Et vectes laxem, cunctaque claustra probris.
Da ſcelerum repetam memori veſtigia filo,
Et dicam, in pœnas quàm tibi blanda manus.
Donec enim current iuſſo mea tempora fuſo,
Vitalique, tuo munere, luce fruar:
Hæc memorare volo, ſeu feſſū abſcondat in undis,
Seu purum Eöo Sol levet orbe caput.
Hæc, inquam, mea continuò lyra dicet, & omnis
In laudes ibit noſtra Thalia tuas.
Sed quia tot ſalebras, tantamq; evolvere ſylvam
Mens ævi ſpatijs obruta ſola nequit;
Dicite, vos Genij, cœli gens prima, virilem
Quis fuit ante togam, temporis ordo mei.
Dicite, quando fuit puræ data copia veſtis,
Quæ facies, iſto quæ fuit unda freto?
Hoc meminiſtis enim, & læti memorare poteſtis:
Gaudia cùm veſtro ſint ea magna choro.
Dicite, quos inter fluctus curſum improbus egi;
Quanta meam petijt, quæue procella ratem.

Tuque

Tuque relabenti ſcelerum quæ ſæpè per undas,
Porrêxti toties, Gratia Diva, manum.
Dic, bona, quas peſtes, vel quas non ſtrinximus hydras;
Quàm fera, ſub teneris unguibus, eſſet hyems.
Vidiſti, & noſtro doluiſti, Diva, dolore,
Quin lacrymis habita eſt ſors mea digna tuis.
Scis, Dea, quod noſtrũ, Veneris furor, iraq; pridem
Merſiſſent ſtygiæ noctis ad ima, caput:
Ni ſubducta forent à te mea pectora morti,
Quaſſaque vidiſſet littora tuta ratis.
Ergo veni, quò prima fleam commiſſa Iuventæ,
Adiuro ſanctè teque tuamque manum:
Nam quamvis quæ nocte latent, ſi luce reponam,
Ilias eſt probris magna futura meis;
Tantò maior erit tamen hîc clementia, quantò
Mens infecta fuit pluribus antè probris.

Si certè omnia membra noſtra verterentur in linguas ad rependendum tibi debitas laudes, nequaquam ſufficeret exiguitas noſtra: ſupereminet enim omnem ſcientiam tua inæſtimabilis charitas, quam oſtendiſti nobis indignis pro ſolâ bonitate, & pietate tuâ. *Med. c.* 15.

Tacebas tunc, & ego ibam porrò longè

à te in plura & plura ſterilia ſemina dolorum inquietâ laſſitudine. 2. *Conf. c.* 2.

Circumvolabat ſuper me fidelis à longè miſericordia tua. 3. *Conf. c.* 2.

Sagittaveras cor noſtrum charitate tuâ, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus, & exempla ſervorum tuorum, quos de nigris, lucidos, & de mortuis vivos feceras. 9. *Conf. cap.* 2.

O! bone, qui ſic curas unumquemque noſtrûm, tanquàm ſolum cures, & ſic omnes, tanquàm ſingulos. 3. *Conf. c.* 11.

Fateor, heu! fateor, non ſolùm quæ poſtulo non debentur dona, ſed multa & exquiſita ſupplicia: animant tamen me publicani, meretrices, & latrones, qui à faucibus hoſtium momentaneè eruti ſinibus excipiuntur paſtoris. *Med. c.* 2.

CIRCVMSTREPEBAT ME VNDIQVE SARTAGO FLAGITIOSORVM AMORVM. 3. Conf. c. 1.

Torrebat nigro Veneris puer improbus igne,
O Monice, nati corque, iecurque tui.

Hoc

Hoc Libycis exſpes Genitrix dum cerneret agris,
Dives ubi multo flore virebat humus;
Aſtitit æthereo Iuvenis demiſſus ab axe,
Grande, cui in toto corpore lumen erat.
Terq́ꝫ quaterq́ꝫ piam veneratus honore Parentē,
Solve tuos, dixit, magna Virago, metus.
Sydereis præpes mittor tibi nuncius aſtris,
Hæc animo pellam nubila tetra tuo.
Namq́ꝫ tuus chalybe, & ferro nunc durior, olim,
Ne dubita, ceræ virginis inſtar erit.
Sed crudum nimis eſt, nec adhuc tractabile vulnus;
Maturo, dabitur certa medela, malo.
Et nautæ, ſimul & medici ſua tempora ſervant,
Et qui frugiferæ ſemina credit humo.
Scis, reor, ut vernus liquido pede labitur amnis,
Anteà qui duro frigore vinctus erat?
Quòd veniat poſt arma quies, poſt nubila Phœbus,
Poſt hiemes, picei quòd cadat ira maris?
Sic tuus inſano rapitur qui Cypridis æſtu,
Crede, brevi, purus criminis huius erit.
Impetus eſt nebulæ ſimilis, mox ibit in auras,
Pôrget ubi firmam, Gratia Diva, manum.
Vt fragilis glacies Phœbo veniente liqueſcit;
Sic tumor inſani pectoris ille cadet.

Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius undâ?
  Dura tamen molli ſaxa cavantur aquâ.
Cernis ut inflatus ventoſam, Pallade, mentem,
  Contemptim gemitus imbibit aure tuos?
Vt crebros ridet crebro ſale luminis imbres,
  Mollis ut excuſſo vertice, probra iacit?
Cedendum eſt, pia Mater, habet vis prima furorem;
  Pœonias horrent ulcera cruda manus.
Indomitus luctando magis ſuccenditur ignis;
  Iraque quæ, nullo concutiente, cadit.
Nec toto fera ſævit hyems, nec ventus in anno;
  Et tibi, crede, brevi tempora veris erunt.
Audiſti (ſoletur & hæc te fabula) quondam
  Pergama ſerò licet, capta fuiſſe tamen.
Sit licet, & ſaxis, & robore durior, olim
  Succumbet lacrymis attamen ille tuis.
Sic ait, & ſuperas ſe ſuſtulit ales in oras,
  Promittens alios, tempus in omne, dies.

Domine, Lux mea, inimici fecerunt de me quæcumque voluerint, percuſſerunt, nudaverunt, vulnerarunt, & occiderunt, quia receſſi à te, & factus ſum nihil ſine te. *Sol. c. 6.*

Quæ

Quæ divina ſolidaverat medicina, mea reſolvit prurigo phrenetica. *Med. c.* 2.

Vulnera vulneribus inflixi, quia ſcelera ſceleribus addere non timui. *Ibid.*

Rapiebat caligo libidinis imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque merſabat gurgite flagitiorum. 2. *Conf. c.* 2.

Infelix pecus aberrans à grege tuo, & impatiens cuſtodiæ tuæ, turpi ſcabie fœdabar. 3. *Conf. c.* 2.

Id erat peccatum inſanabilius, quô me peccatorem non eſſe arbitrabar. 5. *Conf. c.* 10.

Vena amicitiæ decurrit in torrentem picis bullientis æſtus immanes tetrarum libidinum. 3. *Conf. c.* 2.

Sumus animalia ventris, & carnis mancipia, homunciones navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſium, ubi ſunt loca periculoſa Scylla & Charybdis, & alia innumerbilia, in quibus naufragantur incauti. *Med. c.* 24.

V. In-



Instabas in occultis meis Domine, flagella inge-minans pudoris, et timoris. S. Aug. 8. Conf. c. 11.

V.

Inſtabas in occultis meis, Domine, flagella ingeminans timoris, & pudoris. 8. *Conf. c.* 11.

QVas, ultrix hominum, conflat Rhamnuſia pœnas!
Nullo ſtare queat mens ſcelerata loco.
Intùs agunt Furiæ, ſcuticâ tortore, medullas;
Excutiuntque novos nocte, dieque metus.
Quis memoret viſis, trepidantem Penthea Diris?
Quis flammas referat, triſtis Oreſte, tuas?
Quàm grave ſupplicium ſcelus eſt! hoc perpete pœnâ,
Vulturij, fibras, alitis inſtar, edit.
Luna ſoporiferam præbens mortalibus umbram,
Dimidium, liquidi fecerat orbis iter.
Occiduas, currente rotâ, dum pergit ad undas,
Quò feſſos, molli gramine, paſcit equos,
Mira quies erat, umbroſo niſi culmine tecti,
Feralis, gemeret flebile carmen, avis.
Præfica noſtrorum nimis importuna malorum;
Mundo devotum, Dis ſuperiſque caput.

Quò

Quò leſſus, ulula hæc? dixit; quid deniq́, reſtat?
Vah! miſerum nunquid me ſemel eſſe ſat eſt?
Nec Cereris donis recreor, nec flore Lyæi;
Nec me Muſa juvat, nec juvat ulla quies.
Ecce inſopito volvo mea corpora lecto;
Quæ levis eſt aliјs, nox mihi pœna venit.
Quæ requies erit ergo meis (ô! fata) procellis;
Vlterior ſi nos pontus, & aura vocant?
Hæc dicens, nunc feſſa premit, nunc ora ſupina
AUGUSTUS, *ſtabili neſcius eſſe loco.*
Vritur, horribilem maculis teſtantibus æſtum:
Nec tegit ulla quies, nec lacryma ulla rogum.
Monſtriparæ talis, poſt cæſa piamina terræ,
Herculis Oetæi ferbuit oſſa, rogus.
Laſſa gravi tandem ſubſedit turbine cervix;
Et nigrâ clauſit lumina nube ſopor.
Vix oculos preſſit, cùm ſomnia turbida ſurgunt:
Et pingunt habili multa videnda manu.
Præ reliquis, Solymes claris errabat in oris;
Vrbs ubi finitimum territat alta polum.
Miratur Pariјs ſurgentia tecta columnis:
Et totâ errantes autumat urbe Deas.
Miratur magni turrita palatia Regis,
Enthea fatidicâ quem fide Muſa beat.
Hinc Iuvenis pubente genâ, decor ipſe decôrum
Et Charitũ ipſa Charis, & Venerum ipſa Venus:
Luxu-

Luxuriante venit per eburnea colla capillo;
Urbis homo, Cypriæ pullus, amorque Deæ:
Ah! Solymis pretioſa ſeges quantùm illa puellis,
Non pauco venùm cùm dabat ære comas.
Neſcio quos motus oculis, flammaſque ciêre
Viſus, & aſtantem cogere ad arma manum.
At Pater, & nudus trabeâ, nuduſque tiarâ,
Poſtico egrediens limine, ab urbe fugit.
Infelix pater (ô! diræ ſpectacula ſortis)
Teſqua per, heu! ſobolē, per ſalebraſque fugit.
Bina dein denſo rutilabant agmine caſtra;
Hinc Puer, inde Ioâb, promptus uterq; mori.
Par animus, forſan puero ferventior, illum
Ni grandi rabies invida nube premat.
Æra ſonant, paribus pulchrè concurritur armis;
Marſpiter æratis curſat utrimque rotis.
Iamque labat fortuna: Puer, quò triſtis aberras?
Quò tandem? forti comprime lora manu.
Pegaſeo ſuperare putas diſcrimina dorſo?
Quò magè maturas, te magè fata premunt.
Sta, dum virtuti locus eſt: ſtatione relictâ
Infamem quæres, devius erro necem.
Qua volitat, quercus totas exeſa medullas
Non procul expanſis ſtabat aperta comis.
Culta Palæſtinis ævo meliore Napæis;
Nunc miſeri exitium triſte futura viri.

Viſa

Viſa queri, & ſubitò ſua cogere brachia, viſus
Et liber, & radix, & trepidare comæ.
Fertur in hæc Princeps tamẽ impete robora cæco
(Triſte nefas) fati neſcius arma ſui.
Et miſerum arreptis captivat crinibus arbor,
Fortè levis fulvam dum levat aura comam.
Vt ſcivit pendêre Iôab: volat ocyor Euro;
Vt volat audito tigris inanis equo.
Et citiùs molles (vah! effera dextra) medullas
Acriter infixo non ſemel enſe fodit.
Ille calentem animam diverſo vulnere reddit;
Quàm vellet carum tunc coluiſſe patrem!
Hac PATRITIADEN *ſic ſomnus imagine terret,*
Vt multus toto corpore ſudor eat,
Exitus angebat, & quàm miſerabile fatum eſt,
Tam ſancto Iuvenem diſplicuiſſe patri.

Inſtabas in occultis meis, *Domine*, ſeverâ miſericordiâ flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rurſus ceſſarem & non abrumperetur idipſum exiguum, & tenue quod remanſerat, & revaleſceret iterùm, & me robuſtiùs alligaret. 8.*Conf. cap.* 11.

In quantas iniquitates diſtabui, & ſacrilegam

crilegam curioſitatem ſecutus ſum , ut deſerentem te deduceret me ad circumventoria obſequia dæmoniorum, quibus immolabam facta mea mala, & in omnibus flagellabas me. 3. *Conf. c.* 3.

DELECTATUS MORBO CARNIS, ET MORTIFERA SUAVITATE, TRAHEBAM CATENAM MEAM SOLVI TIMENS. 6. Conf. cap. 12.

ÆGer eram (pudor eſt iſtud memorare dolorq́;)
Et ſtabat vacua jam propè Parca colo;
Uſque tamen toto promebam gaudia vultu;
Præſentiq́; meo funere lætus eram.
Quò major conflictus erat, graviuſq́; periclum,
Mos erat in plures ſolvere corda jocos.
Ah! miſer, inq́; dies ultrà miſer, hæc tibi (Mater
Dicebat) riſus tempora ſemper erunt?
Amplecti potes hæc, faciunt quæ vulnera, mortem?
Has toto peſtes uſque fovere ſinu?
Dic mihi, quæ Circe ſenſus tibi ſuſtulit omnes?
Quæ rapuêre animum Theſſala philtra tuum?
Ipſe vides, nudi radiant cervicibus enſes;
Ipſe vides, cingunt mille pericla, latus.

Intereà

Intereà exſultim ludiſque, caniſque; nec unquam
Ante oculos aſtat mortis imago tuos.
Suave tibi cultros inter, gladioſque furentes
Vivere, ſi vita eſt mortis habenda, genus.
Quis, te, dic, adeò ſine ſenſu crederet, ecquis
Vſque adeò matri diceret eſſe ferum?
Neſcio quem vatem tigreſque & concita, dicunt,
Flumina vocali perdomuiſſe lyrâ.
Sunt etiam fide qui duras (ſi credere dignum eſt)
Rupes in muri membra vocaſſe ferunt.
Et te non poſſum tantis ſuperare quærelis?
Tot lacrymis, mater nulla domare jecur?
Sæpè mihi Genitrix oculos ſuffuſa madentes,
Cum gemitu tales protulit ore ſonos.
Verba ſed aërij rapiebant omnia venti;
Ac mihi res, iſtud vivere, ſuavis erat.
Huiccene, Magne Deus, fortunæ aſſuevimus olim
Quòd vitâ potior mors mihi viſa foret?
Præ cœlo (pudet iſta loqui) quod Tartara, præ te
Quòd Furias vellem ſtultus, inopſque ſequi.
Mella dabant, fateor, ſed quæ guſtata furorem,
Aut certam facerent, læſa per oſſa, necem.
Ah! quantis rapitur verni flos caſibus ævi:
Prædantur primos funera quanta dies.
Vt corpus teneræ, ſic mens infirma Iuventæ;
Semper & in propriã prõpta, furenſq; necem.

Iſtum

Iſtum libertas, alium vis armaque perdunt,
Et nimio ardentes ſæpè calore fibræ.
Hunc pila, conſumptis iſtum necat alea nūmis;
Curriculo perit hic, & perit alter equo.
Hic auri cupidus mediis miſer excidit undis,
Et nova longinquis piſcibus eſca fuit.
Cypria quàm multis creſcentes abſtulit annos!
Quàm multis nimiæ flamma, furorq; gulæ!
Sunt quibus exitium eſt in lucem copia Bacchi;
Sunt dominæ duras ante ſtetiſſe fores.
Deniqùe tot primo ſunt hoc in tempore ſaxa,
Effugere illæſo vix ſit ut illa pede.

Rapiebar ad te decôre tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & pondus hoc conſuetudo carnalis. 7. *Conf. c.* 17.

Sarcinâ ſæculi, velut ſomno, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur. 8. *Conf. c.* 5.

Iam iamque attingebam, nec tenebam: & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæſitans mori morti, & vitæ vivere: pluſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum. 8. *Conf. c.* 11.



Nikil me reuocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, et iudicij . 6. Conf. c. 16 .

V I.

Nihil me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & iudicij. 6. *Conf. c.* 16.

Antè vagos numerem cœli ſtellantis ocellos,
Altaq́ꝫ quã multis Tethys abũdet aquis:
Antè comas Dryadum, Cereris metirer ariſtas,
Attica quàm vario floreat Hybla thymo:
Quàm referã lacrymas, & inenarrabile murmur,
Et queſtus, tacito quos dedit ille ſinu;
Poſtquàm Tartareis, cœlo duce, & auſpice cœlo,
Pellere iam tandem corpora ſenſit aquis.
Aſtabant animo rota, ſtyx, chaos, anguis, & iræ,
Carnifices flammæ, carnificeſq́ꝫ feræ.
Nunc ſe, nunc cœlum, nunc vitæ fœda videbat,
Et miro lapſos orbe, modoq́ꝫ dies.
Quas à lacte recens, & pœnè parentis ab alvo
In Syrtes Cnidiâ pellice, raptus erat.
Quàm tenui fuerit vitæ fortuna ſub ictu;
Alea quàm dubiè verſa ſalutis erat.
Ut ferus ingenio varijs cœlique mariſque
Credendam duxit caſibus eſſe ratem.
Hæc recolens fudit geminos, ut Aquarius, imbres;
Mox mortis, toto corpore, frigus ijt.

Vtque redit, fluxitque calor per viſcera, & ipſum
Iam paullo meliùs cepit habere iecur:
Et ſpiras, & adhuc (dixit) modò veſceris aurâ,
(Feralis clauſit luctus, & ora dolor)
Colluvies ſcelerum, Veneriſq; ſacerrima proles;
Aſpicit hoc rutilo Phœbus ab axe caput?
Nec ſtrepit irato fragor æthere, nec ruit ignis
Tergeminus, qui me triſte bidental agat?
Qui me iam Stygias victurum mittat ad undas,
Si quid & horridius hac Styge mundus habet?
Heu! furor, heu! primæ cœca indulgentia vitæ;
Luſibus, heu! nimiùm cuncta benigna meis.
Quæ tam ſtella gravis, quæ tam mihi livida Clotho
Hoſtili nevit ſtamina pulla manu?
Ter decies ſolitæ redierunt vallibus umbræ,
Terra ſuas toties induit alma comas:
Quò feror in certam, per aperta, per invia mort
Naufragaq;, in Paphio gurgite, cymba per
Laſcivæ quoties iuravi in verba puellæ;
Hac quoties pernox in ſtatione fui?
Nunc aderat rutilis onerata monilibus aures,
Nulla gerens collo flammea, nulla genis.
Nunc terram quatiens, nunc voce, lyraq; petul
Ingeminans, Circes fœda miniſtra, ſonos.

Scili

licet urticæ, grandeſq; libidinis ignes:
Tragula tunc amnis apta, doluſq; meis.
Nunc verò me longa manent ſuſpiria, fructus
Naſcitur ille tuis, Cypria læna, roſis.

Pereant omnia, & dimittamus hæc vana, & inania. Vita hæc miſera eſt, mors incerta: ſubitò obrepat, quomodò hinc exibimus? *. Coſ. c.* 11.

Tædet me, *Domine*, valdè vitæ huius, & ærumnoſæ peregrinationis. Vita hæc, vita miſera, vita caduca, plena miſerijs, & erroribus, quæ non eſt vita dicenda, ſed mors: in quâ momentis ſingulis morimur. *Med. c.* 21.

Et cùm ita per ſe ſit amara, ut etiam ſuos cœcos amatores latêre non valeat; tamen infinitam ſtultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet, potat, & prorſus inebriat. *Ibid.*

NON SANABATVR VVLNVS MEVM, SED POST DOLOREM ACERRIMVM PVTRESCEBAT, ET QVASI DESPERATIVS DOLEBAT. 6. Conf. c. 15.

MVlta, diuque tuli; tandem ſtat, mater Amorum,
Turpia militiæ linquere ſigna tuæ.
Te quoque libertas, noſtræ Dea cauſa ruinæ,
Exſecror, & caſtris tansfuga cedo tuis.
Ecquid enim poſt tot diſpendia, poſt tot iniquas
Quas vultis tolerem virque puerque, vices,
Eſt mihi ſperandum, niſi miſſio turpis, & atros
Vt ſubeam, mortis proxima pompa, ſpecus?
Quàm felix eſſem, ſi vos caſtra impia nunquam
Intraſſem, Genio me præeunte malo.
Nomina ſi nunquã tibi noſtra, Erycina dediſſem;
Arma forent acri nec tua capta manu.
Non ego tot plagis, tot ſaucius ictibus ora,
Hoſtili toties læſus ab enſe latus;
Pœnè polum, vitâ; petijſſem caſſus, inanem,
Pœnè forem furvæ truſus ad antra domus.
Sed vetuit tantam ſummo Deus axe ruinam;
Et tenuit verſas in mea fata faces.

O! ni-

O! nimiùm faciles Superi, nimiumq́ue benigni,
Armatæ nullo ſunt quibus igne manus.
Qui cùm fortè vident, in ſæva mortis abyſſos,
Quòd paſſu nuſquam quis remerante ruat:
Protinus è cœlo properant, ſiſtuntq́ue cadentem;
Aut Stygijs revocant corpora lapſa focis.
Et certè, bene ſi memini, mea tollere ſurſum
Tartareo ſenſi non ſemel ora lacu.
Non ſemel in medio dum mergerer æquore, ſenſi
Mento ſupponi brachia curva meo.
Currimus in certam, gens heu! fanatica, cladem;
Atque nimis morti turba parata ſumus.
Mens mea, dum talẽ repetis, tua crimina, vitam;
Et modò quid tu ſis, quid fueriſq́ue vides:
Ad meliora tuos ſenſus tunc, dic mihi, ſi quid
Forma velut Mortis, quod revocaret, erat?
Iſta tenêre tuas, forti ſufflamine, quondam
Præcipites, poterat nunquid imago, rotas?
Nam quoties mecùm tacitè rimabar, acerbas
Deberem lethi quod ſemel ire vias:
Quod fœdum viſu, fœdum quod odôre cadaver,
Iret in infamem, vermibus eſca, ſpecum:
Iſtîc quòd Crœſus nudo nil diſtet ab Iro,
Par Helenæ quod ſit, par Hecalæq́ue cinis:
Et magè maturâ quod erat mihi lance notandũ,
Volvendumq́ue animo terq́ue quaterq́ue meo,

Non moritura forem poſt hæc quòd victima Ditis
Pellendus ſuperis, tempus in omne, locis:
Iſta velut ſparſa reprimebant gaudia lymphâ;
Et quaſi ſublato vela petulca Noto.
Felices, quibus ante oculos ſtat funebris urna
Semper, & in miſeros flamma parata reos.
Qui penſant formæ quàm ſit breve munus, & ævi,
Spe citiùs quòd ſit cymba petenda ſenis.
Et poſtquam in cineres erimus poſt pauca reverſi,
Vix ſumus, heu! digitus quod levet unus onus.
Felices nimiùm; nam quiſquis talia volvit,
Vel minimâ horrebit cor vitiare lue.

Manus tuæ, *Domine*, in abdito providentiæ tuæ non deſerebant animam meam, & de ſanguine cordis matris meæ per lacrymas eius diebus ac noctibus pro me ſacrificabatur, & egiſti mecum miris, & occultis modis. 5. *Conf. c.* 7.

Tua me, *Domine*, bonitas creavit, tua miſericordia creatum ab originali peccato mundavit, tua patientia in alijs peccatorum ſordibus involutum hactenus toleravit, nutrivit, & expectavit. *Med. c.* 41.

Mun-

Mundandum erat cor à fermento veteri, & placebat via ipſe Salvator, & ire per ejus anguſtias adhuc pigebat. 8. *Confeſſ. c.* 1.

Sicut evenire aſſolet, ut malum medicum expertus, etiam bono timeat ſe committere; ita erat valetudo animæ meæ, quæ curari recuſabat, reſiſtens manibus tuis, qui medicamenta fidei confeciſti, & aſperſiſti ſuper morbos orbis terrarum. 6. *Conf. c.* 4.

O MONSTRVM VITÆ, ET MORTIS PROFVNDITAS! POTVITNE LIBERE, QVOD NON LICEBAT, NON OB ALIVD, NISI QVIA NON LICEBAT? 2. Conf. c. 7.

O! Factum malè, lacrymis nec ullis,
Nec luctu furor expiandus ullo,
Semper res animo fovere ſpurcas,
Magiſq; & magis, in dies, & horas,
Corde res malè deperire turpes:
Et ſpreto æthere, viſitare vernos
Blandæ Chloridis uſque, & uſque flores,
Blandæ Cypridis uſque, & uſque fontes.
O! rem peſtiferam, & nimis pudendam,

Hac nunquam à ſcabie tenere mentem.
Nam quid improbius, ſceleſtiúſve
Unquam, dic, gemino ſub axe viſum?
Ecquid perditius, nocentiúſve
Unquam, dic, potè mî fuit venire?
Unum (poſthuma fors negabit ætas)
Fibris, atque animo libebat iſtud,
Quod non ſic fieri licebat; & lex
Una hæc mentis erat, meum libêre,
Una hæc aſſiduo ſequenda ductu
Amuſſis fuerat, meum placére,
Longè Cœlitibus valere juſſis.
Summam veſtibulo Iuventæ ab ipſo
Improbis tribui Orgijs Diones,
Fallacis tribui choris voluptæ:
Quas ſimul malè feriatus atque
Laſcivis colui miniſter aris,
In nigros cecidi ſpecus, per omne
(Ni cœlum aſſoret) heu! futurus ævum
Pabulum ſtygijs miſer favillis.

Ego, ne vituperarer, vitioſior fiebam, & ubi non ſuberat quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe quod non feceram, ne viderer abjectior, quò eram innocentior, & ne vilior habe-

rer, quò eram caſtior. 2. *Conſ.cap.* 3.

Præceps ibam tantâ cæcitate, ut inter côætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos jactantes flagitia ſua: & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes eſſent; & libebat facere non ſolùm libidine facti, verùm etiam laudis. 2. *Conſ.c.* 3.

O nimis inimica amicitia, cùm dicitur; Eamus, faciamus; & pudet non eſſe impudentem. 2. *Conſ.c* 9.

Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno ejus tanquam in cinnamomis, & unguentis pretioſis. 2. *Conſ. c.* 3.

Tanto acrior cura rodebat intima mea, quantò me magis pudebat tamdiu illuſum puerili errore, & animoſitate. 6. *Conſ. c.* 4.



Sic ægrotabam, et excruciabar, voluens ac versans me in luctu meo. S. Aug. 8. Conf. c. 11.

VII.

Sic ægrotabam, & excruciabar, volvens ac verſans me in vinculo meo. 8.*Confeſſ. cap.*11.

AEriæ Genius dum fortè perambulat auras;
Et ſuperum, pennâ remige, ſulcat iter:
Idalio algentes, AURELI, *frigore fibras*
Vidit, & errorum perdita corda gelu.
Vidit, & immane ingemuit; nunquam, heu! miſer, aiens,
Cœlituum glacies ſolibus iſta cadet?
O! miſer, apricos flat Gratia Diva tepôres;
Et tua mortifero frigore membra rigent.
Quò tandē? arrectis hæc auribus accipe, an omnis
Vitali verè ceſſit ab ore calor?
Dicebat molliq; prehensâ pollice dextrâ,
Nullus in exanimo corpore pulſus erat.
Fugerat aura levis, ſed & oſſa, cutiſq; rigebant;
Tantalis ut Sipyli vertice petra riget.
Mox poſitis pharetris, facie ſtans versùs Olympū,
Nubilus, & tanto funere triſtis, ait:
Pôcla tibi quoties, ſuccoſq; herbaſq; paravi,
Nec placuêre labris illa, vel illa tuis.

Verba

Verba tibi quoties ſunt dicta levantia; at illi
Facti ſunt monitus, ignis in igne, mei.
Et fomenta æger ſtomachus cane peius, & atro
Pæoniam peius oderat angue manum.
Ah! vide, quò tandẽ, quò te ſuror improbus egit:
Iam te ſarcophagus, jam ſtygis antra manent.
Sic tenebras plenis velis properatur ad imas;
Vis quaſi non animi dignior ulla foret.
Nulla quaſi exſtarent cognati ſemina cœli:
Quæ ſub membrorum cortice clauſa latent.
Vah! quoties ſpinaſq; premis, graderiſq; per ignes,
Dixit mœſta Parens imbre rigata ſinus.
Caſtiganſq; tuos verax Caſſandra furores,
Implevit lacrymis talia dicta ſuis.
Nate, cave, vide ne pereas. ſurit improba Cypris.
Hæreſis & rabido flamine miſcet aquas.
Ecce gemit tua prora feris alliſa procellis;
Ecce natant medio naufraga membra mari.
Dum potis es, tabulã cape, ſpes hac una ſalutis;
Obruet, heu! miſerum, ni facis, unda caput.
Hæc, & plura oculis effata fluentibus, hujus
Præſago cecinit carmine dira necis.
Vera fuit vates, partem probat exitus: ô! ſi
Partem aliam ſinerent aſtra benigna ratam,
Hanc quæſo miſeræ Matri Tithonia conjux
Actutum roſeo proferat ore diem.

Quaſi mortem reformidabat anima reſtringi à fluxu conſuetudinis, quo tabeſcebat in mortem. 8. *Conf. c.* 7.

Servus eram, & ſervitutem amabam: cœcus eram, & cœcitatem deſiderabam: vinctus eram, & vincula non horrebam: amarum dulce, & dulce amarum credebam. *Sol. c.* 6.

Sciebam, ſed nec volebam, nec valebam, eò magis quia non mihi eras aliquid ſolidum, & firmum, cùm de te cogitabam. 4. *Conf. c.* 7.

Non ſatagebat pater, qualis creſcerem tibi, aut quàm caſtus eſſem, dummodò eſſem diſertus, vel potiùs deſertus à culturâ tuâ, DEUS, qui es unus, verus & bonus dominus agri tui cordis mei. 2. *Conf. cap.* 3.

MATER PRO ME QVOTIDIE TIBI RIGABAT TERRAM SUB VULTU SUO. 5. Conf. c. 8.

Umbroſâ vitrei dum fortè crepidine fontis,
Sidonios MONICE *tabida luſtrat agros:*

Tabida

Tabida tot lacrymis, tot anhelis ægra querelis,
Tandem floriferâ feſſa reſedit humo.
Iuxtà natus erat (ſic Dij voluiſtis) acerbus,
O! dolor ille adamas, Noricus ille chalybs.
Nullâ, Nate, refert, eris exorabilis arte,
Continuiq; mihi funeris author eris?
Si durum cordis ſilicem, quernaſque medullas,
Quas lacrymæ nequeũt vincere, vincat amor.
Omnia vincit amor; quid enim nõ vinceret ille,
Qui debellato ſcivit ovare Deo?
Hyrcanâ quid tigre magis crudele, quid urſo?
Adſit Amor, furias ponet uterque ſuas.
Ille avium reſonare gregem ſudo aëre cogit
Mille jocos, animi gaudia mille Deus.
His dictis, feſſæ roſtrata ciconia matri
Talia portabat per loca forte dapem.
Aſpicis hanc tranare polum? rectè, auſpice cœlo,
Commoda propoſitis remigat illa meis.
Hæc tibi naturæ, morumq; ait, apta magiſtra eſt:
Ne pudeat, mores arguet illa tuos.
Cerne libens ex hac reverentia quanta parentũ:
Officij noſcas bruta magiſtra tui.
Emeritis vitæ quærens authoribus eſcam,
Exemplum ſobolis te docet eſſe bonæ.
Aſpicis ut volitet per agros, per flumina reddat
Vectigal cunis ut geniale ſuis?

Et tu me refugis vitæ peramica monentem:
Et dictis perſtas durior uſque meis.
Scilicet iſta decent Lucinam præmia noſtram;
Hæc ſunt ob curas munia digna meas.
Nobilis Æmonium cytharā Centaurus alumnum
Dum docet, offendunt Herculis arma ſenem.
Arma veneno ſi tabentia ſanguine Neſſi,
Lernææ nuper quem ſociarat Hydræ.
Mollibus alloquijs ægrum demulſit Achilles;
Et fovit medicâ, quâ potis, arte malum.
Sæpè ferunt guttis maduiſſe tepentibus ora;
Sæpè ſcatens trepidâ pus poſüiſſe manu.
Phyllirides blando obſequium ſpectabat ocello;
Si qua fides, clauſit lætior inde diem.
Heröum ſectare pios toto impete mores:
Exemplum primi nominis ecce damus.
Nil adeò turpe eſt quàm faſtidire parentem;
Omnis in hoc vili crimine noxa latet.
Quid me, quid gemitus caperatâ fronte pererras?
Quæ non materno bellua amore furit?
Et leo laſcivit torvæ ſuper ubera matris;
Et minor effrenæ pullus adhæret equæ.
Hoc equidem miror quòd inexorabilis hæres,
Cùm ſcelus eſt nullum præter amare meum.

Illa vidua caſta, pia, & ſobria, quales

quales amas, iam quidem ſpe alacrior, ſed fletu, & gemitu non ſegnior, non deſinebat horis omnibus orationum ſuarum de me plangere ad te. 3. *Conf. c.* 11.

Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lacrymas eius, cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudiſti eam. 3. *Conf. c.* 11.

Neſciebat, ideò flebat, & ejulabat, atque illis cruciatibus arguebatur, rea reliquiarum Evæ, cum gemitu quærens, quod cum gemitu pepererat. 5. *Conf. c.* 8.

Tu altè conſulens, & exaudiens cardinem deſiderij eius, non curaſti quod tunc petebat, ut in me faceres, quod ſemper petebat. 5. *Conf. c.* 8.

FIERI NON POTEST, VT FILIVS ISTARVM LACRYMARVM PEREAT. 3. Conf. c. 12.

THreïcio Graiæ ſtabant in littore puppes;
Hanc maris accenſi fecerat ira moram.
Cùm ferus, & mæſto ſimilis, ſimiliſq; minans
Hæc ruptâ Æacides dicere viſus humo.

Ii

Ite, coronatis vada cærula ſcindite velis:
Carbaſeos mollis iam petit aura ſinus.
Egregij ſocij, properis excedite remis,
Hoſtilis cineres dum tegit urna meos.
Scilicet hæc noſtræ ſunt debita præmia dextræ;
Scilicet hæc meritis gratia danda meis?
Imò cadat noſtro mactata Polixena buſto;
Hoſtia debetur Manibus illa meis.
Dixerat; aſt ſocij facinus damnantq́, feruntq́
Horrendum tali ſpargere buſta ſacro.
Ille tamen remeat ſolitâ magè percitus irâ,
Terrentur tantis plebſque, duceſque minis.
Sed quid agant? gremio caræ ſedet illa parentis,
Et precibus, non vi, res peragenda fuit.
Quæ poterunt voces teneram exorare puellam?
Quæ matris rigidas flectere Suada fibras?
Vnicus officio tali fuit aptus Vlyſſes,
Flexanimis ſolitus fundere mella labris.
Vt ſtetit ante Hecubam regis mandata Pelaſgi,
Et magni Æacidæ triſtia viſa refert.
Dura quidem; dixit, petimus, tamē omnibus horis
Inferias tales nobilis Vmbra petit.
Quæ tanta retulit Ithacus dulcedine linguæ,
Vt dederit victas nata, parenſque manus.
Hæc mecum quoties recolo, mirabile Suadæ,
Et linguæ ſtupeo fulmen, Vlyſſe, tuæ.

Scilicet his poſuit genitrix lacrymabilis iram,
Et poſt tot Troiæ funera virgo data eſt?
Quid facis, ô regina? tuum dedit Hectora letho;
Et rabidis circùm mœnia traxit equis.
Pyrrhus & ipſe ſui crudelis imagine patris
Iliacam Priami ſanguine tinxit humum.
Eloquium torrens Itachi, rationibus iſtis
Præſtitit & triſti ducta puella ſacro.
Hæc grandi Vates memorãt, referuntq́; cothurno;
Et ſuper hiſtorias res habet iſta fidem.
O! ſi certa loqui liceat, nec ſabula rebus
Majorem veris eſt habitura fidem:
Tu nati, Monice, *ferro cor durius omni,*
Et lacrymâ, & dulci flectere voce potes.
Ille licet Scythiæ gereret ſub pectore cautes,
Et nullam vellent viſcera ferre manum:
Attamen ingenti proſtratus turbine linguæ,
Sponte dedit victas, ad tua iura, manus.
Scilicet eſt aliquid, quod ferrea frangere poſſit
Pectora, molleſcunt effera corda prece.
Ac veluti Zephyris, & primis Solibus icta
Solvuntur, Pindi per iuga cana, nives:
Temperat ut ferrum (quid ferro durius autem?)
Mulciber, & chalybem Norica flãma domat:
Sic lacrymæ, ſic pulchra tuæ facundia linguæ:
Frangere cor potuit plus adamante rigens.

Quod ſimul ac fractum varios exivit in actus,
Mox ingens caſti meſſis amoris ijt.
Sic benè ſub pluvio vitiatur ſidere ſemen,
Poſteà quod multo fœnore reddit ager.

Cùm illa nollet acquieſcere, ſed inſtaret magis deprecando, & ubertim flendo; ille ſubſtomachans tædio; Vade, inquit, à me, ita vivas; fieri enim non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat. 3. *Conf. c.* 12.

Non enim ſatis eloquor, quid erga me habebat animi, & quantùm maiore ſollicitudine me parturiebat ſpiritu, quàm carne pepererat. 5. *Conf. c.* 9.

Exultat, & triumphat mater, & benedicebat tibi, qui potens es ultrà, quàm petimus, aut intelligimus, facere, quia tantò amplius ſibi à te conceſſum de me videbat, quàm petere ſolebat miſerabilibus, flebilibuſque gemitibus. 8. *Conf. c.* 12.

VIII. Fa-



Fames mihi erat intus, ab interiori cibo teipso, Deus meus. S. Aug. 3. Conf. c. 4.

VIII.

Fames mihi erat intus, ab interiori cibo teipſo, Deus meus. 3. *Conf. c.* 4.

DIva ſoror Phœbi ſolitos emenſa labores,
Oceani niveum merſerat amne caput.
Surgentem MONICE *terris quam vidit Eöis,*
Occidere Heſperijs hanc quoque vidit aquis.
Quid faceret, quæris? rorabat perpete venâ
Et ſpondam, & thalami plumea ſtrata ſui.
Stragula ſtillabant, madidis ceu carbaſa ventis;
Viſaque de molli balnea facta toro.
Tot lacrymas generabat Amor: quis credere poſſet
Hunc fontem tantis luctibus eſſe Deum?
Dum roſeas Aurora fores pulcherrima pandit,
Et ſua cœleſti purpurat ora croco;
Aſperſit tandem facilis, multumque petitus,
Feſſa, papavereo, lumina rore Deus.
Iamque quieſcebant mœſtæ ſuſpiria Matris;
Mens tamen ad luctus viſa redire ſuos.
Vt redit ad Muſas vates, ad prælia miles;
Cùm poſuêre levi membra levanda toro.
Hîc varijs pinxit nox præceps ſomnia formis,
Senſa animi mirâ pingere ſueta manu.

Non

Non thalamo quales vidiſti cœlibe formas
Laodamia, oculis arida facta tuis.
Qualia vidit amans ſimulachra miſerrima Di
Demirata Phrygis verba, oculoſque viri.
Prodigus *heredes effrons depoſcere gazas*
Viſus, & à patria perditus ire domo.
Ibat ovans alacri Iuvenum ſtipante catervâ,
Alterius longas orbis ad uſque plagas.
Iamque in luſtra ruit ambas perpotus ad aure
Lux Baccho, Veneri ſervit amica quies.
Perge, ſcelus, perge; es, bibe, rem diſperde, nepotu
Gurges, & abdomen tende, retende tuum.
Pergræcare roſas inter, molleſque choreas;
Exſugat nummos vilis amica tuos:
Atria tinge mero, centenaque baſia iunge;
Implicet intonſas myrtus, & ipſa comas,
Delicijs iam finis erit; viliſſima ventrem
Pabula, iam coget quærere dira fames.
Scilicet hæc primi dederunt elementa magiſtr
Hæc pater à teneris unguibus ipſe dedit?
Infelix pater, an tu non magè perditus? ô!
Ante oculos ſubeat fabula tota tuos.
Namque dies paucos poſtquàm genialiter egit
Hauſit & innumeras helluo luxus opes:
Hinc Venus, indè Ceres, emunctum divite zon
Et nudum nigro fornice lena trahit.

Mox ſtimulante fame duras quatit ilice glandes;
Et ſuis indignos quæritat eſſe cibos.
Ah! ubi myrrhato carchesia plena Lyæo,
Oſtreaq́; ignoto quæ tibi lecta mari.
Mollis ubi prurigo Cupidinis? oſcula mille?
Mille joci? innumeris conſcia Luna probris?
Hæc varijs Monicæ *remeabant ſomnia formis,*
Et verè ante oculos fabula viſa geri.
Iam videt æſtivis torreri ſolibus ora;
Contracta hiberno jam Iove membra quati.
Nunc fortunatos (ô! cælum, ô! æquora) alumnos
Faucibus impaſtis dicere ſæpè ſuos.
Tandem poſt varios ſedet hæc ſententia fluctus,
Se patris in medium præcipitare ſinum.
O! Pater (undabant gemini, quaſi flumina, rivi)
O! Pater (elinguis vinxerat ora ſtupor)
Erratum eſt, Pater: ah! quò me veſania, quò me
Impulit, heu! cæco cæca Iuventa pede.
Quò ruis? amplecti tu me? fugæ ſtringere labris
Ora probroſa, genis ora nefaſta tuis.
His ſubitò Monice *monſtris exterrita, Natus,*
Natus adeſt, (clamat) hei! mihi, Nate, redis?
Poſt tot Mæandros, poſt tam crudelia mentis
Gaudia, ſerò licet, num mihi, Nate, redis?
Mille, & mille tuis infigam baſia labris,
Mille, & mille oculis baſia, mille genis.

Semiſopita ſuos ubi tandem ſolvit ocellos,
Vmbras & fumos iſta fuiſſe videt.
Credebat verè hac tabulâ ſibi Morphea ſomnum
Prolem eiuratis exhibuiſſe probris.
Nec vanus tibi Zeuxis erat, ſanctiſſima Mater:
Lac non ſic lacti quadrat, ut illa tibi.

Bonam partem ſubſtantiæ meæ habui in poteſtate, & profectus ſum abs te in loginquam regionem, ut eam diſſiparem in meretricias cupiditates. 4. *Conf. c.* 16.

Defluxi abs te ego, & erravi, *Deus meus*, nimis devius à ſtabilitate tuâ in adoleſcentiâ, & factus ſum mihi regio egeſtatis. 2. *Conf. cap.* 10.

DIMITTISNE NOS? ET A MOMENTO ISTO NON ERIMVS TECVM VLTRA IN ÆTERNVM? 8. Conf. c. 11.

ASpicis ut fluidæ labantur tempora vitæ,
Vt celer, effrenis paſſibus annus, eat?
Hora diem trudit, noctem lux altera pellit,
Nec redit ulla dies, nec ſemel hora redit.

Quid

Quid facis hîc igitur dum ver geniale Iuventæ
Mille roſis alijs, gaudia mille parit?
Flore novo potiùs donec cruor integer ævi eſt,
Ne quis eat, cura, liber amore dies.
Vade Cytheraæ per amœna roſaria Divæ,
Eſt locus ætatem qui decet ille tuam.
Vade, breves nam ſæpè roſas, & lilia cernis
Sub matutino conſenuiſſe polo.
Hoc tua forma iubet, Zephyroq́ꝫ fugacior ætas,
Pegaſeis petit hoc qui volat annus equis.
Vectigal pendunt Iuveneſq́ꝫ, ſeneſq́ꝫ Dionæ,
A tanto ſolus, tu, grege, liber eris?
Non ſinet iſtud Amor, ſævos domat ille tyrannos
Quin etiam in dominos ius habet uſq́ꝫ Deos.
Quêis lege inferior cùm ſis, & corpore, & armis,
De te uno, nunquàm credis, ovare queat?
Donec fata ſinunt, molles ſectare choreas;
Nox te longa manet, perpetuuſque ſopor.
Mollia florenti flaveſcant tempora myrto;
Et Paphies toto pectore numen ama.
Debita turba ſumus tantæ, mihi crede, Parenti;
Et regit hæc iuvenes, & regit illa ſenes.
Flos verni teneris debetur Amoribus, ævi:
Hæc illi, ex omni gente, tributa petunt.
Quis, niſi mentis inops, primis non luſit in annis,
Et carpſit celerem, quà potis, ungue roſam?

Ipſi, quos verita eſt longis Stöa docta capillis,
Dicuntur Puero colla dediſſe Deo.
Sic mortale genus longos duravit ad annos;
Hæc quoque ſi demas gaudia, mundus abit.
Inſtar Achelöidum noſtras reſonabat ad aures,
Talia, laſcivo plena calore, cohors.

Retinebant nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, & ſuccutiebant veſtem meam, & ſubmurmurabant: Dimittíſne nos? & à momento iſto non erimus ultrà in æternum? & à momento iſto non tibi licebit hoc & illud ultrà in æternum? 8. *Conf. c.* 12.

Et quæ ſuggerebant, Deus meus, quæ ſuggerebant? Avertat ab animâ ſervi tui miſericordia tua. *Ibid.*

Retardabant tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta: Putáſne ſine iſtis poteris? *Ibid.*

Audiebam eas iam longè minùs, vel ut à dorſo muſſitantes, & quaſi furtim vellicantes, ut reſpicerem. *Ibid.*

VBI

VBI EGO ERAM, QVANDO NON QVÆREBAM TE, DEVS MEVS? TV ERAS ANTE ME, EGO AVTEM ET A ME DISCESSERAM, NEC ME INVENIEBAM, QVANTO MINVS TE? 5.Conf.c.2.

AVdiat & tellus, terriſque quod innatat æquor,
Audiat & vaſto maior utroque polus;
Ille ego ſum, vitâ ante alios ſceleratior omnes,
Communi indignum luce, poloque caput.
Quem tumidæ ſtravit torrens opulentia linguæ,
Et pleno, Phœbi quæ data dona, ſinu.
Ille ego ſum, paucis (abſit iactantia verbo)
Viribus ingenij qui ſimulandus eram.
Aurea qui magni penetravi ſcita Platonis,
Nemo licet facilem ſterneret antè viam.
Socraticas potui ſolus qui prendere chartas;
Quidquid & arcanâ, Porticus, arte docet.
Ille ego ſum toties cœloque, Deoque rebellis,
Gens hominum nunquam cui tulit ulla parē.
Qui caræ riſi curas, & iuſſa parentis;
In cuius, Paphie vixit, ut hydra, fibris.
Non fallo, aut voces pulchra has Submiſſio ducit;
Ah! ſanctis virtus cognita ſola viris.

Scis, hominum rector, quot rapta ſit æſtibus ætas;
Quàm mea per turpes cymba cucurrit aquas.
Scis, avidus quoties guſtavi abſinthia labris;
Carnificeſque edi nocte, dieque dapes.
Sentinam quoties, quoties nequàm ore guloſo
Putida cum tetro pocula felle bibi.
Iucundos ſine te flagrabam ſumere potus,
Qui mihi deliciæ ſolus habendus eras.
Fel mihi, mel viſum eſt, quæ toxica, credita vina,
Et pluſquàm Aiacis; turpia, riſus, erant.
Credet poſteritas aliquem potaſſe Mephites,
Tetrius, & tetro quod datur helleboro;
Qui poterat guſtare merum, qui veſcier illo
Melle, quod in cœlis Dædala condit apis.
Credite (ſigna mei quamvis ſint iſta pudoris,
Nec tribuent ullam his ſæcla futura fidem)
Membra luto, ſpurcæ ſuis inſtar, volvere, molli
Sæpè mihi viſum mollius eſſe toro.
Veſci Sardoïs (& ſi quid amarius) herbis,
Res epulis dicta eſt omnibus eſſe prior.
Ah! ubi tunc aderam, vel quo ſub cardine Clotho
Vertebas vitæ ferrea penſa meæ;
Cùm ſenſu ſic captus eram; ſic mentis inanis,
Hos ſine te gratos rerer ut eſſe cibos?

Serò te cognovi, lumen verum, ſerò te

te cognovi. Erat autem nubes magna, & tenebroſa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non poſſem ſolem iuſtitiæ, & lumen veritatis. *Sol.c.* 33.

Quid mihi proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo adminiculo humani ingenij tot nodoſiſſimi libri enodati, cùm deformiter, & ſacrilegâ turpitudine in doctrinâ pietatis errarem. 4. *Conf. c.* 16.

Væ! tibi flumen moris humani, quis reſiſtet tibi? Quamdiu non ſiccaberis? Quòuſque volves Evæ filios in mare hoc magnum, & formidoloſum? 1. *Conf. c.* 16.

Quis unquàm, bone Iesu, de tuâ miſericordiâ diffidat? Qui cùm inimici tui eſſemus, redemiſti nos in ſanguine tuo, & reconciliaſti nos Deo. *Med. c.* 39.

Qui de veniâ peccatorum deſperat, negat Deum eſſe miſericordem. *Man. c.* 23.



Quamdiu? Quamdiu? Quare non hac hora finis turpitudinis meæ? S. Aug. 8. Conf. c. 12.

IX.

Quamdiu ? quamdiu ? quare non hac hora finis turpitudinis meæ ? 8. *Conf. cap.* 12.

COmpedibus ſemper ſtringemur? aënea collo,
Mancipium infelix, vincula ſemper ages?
Non unquam cadet hoc miſeris velamen ocellis?
Non unquam rutilum prendere poſſe diem?
Me miſerum! quantis agitor, verſorq́ procellis;
Quod volo, mox nolo, quod fugit, uſq́ ſequor.
Odi, nec videor me linquere poſſe, quod odi;
Nec poſſum cupiens eſſe, quod eſſe volo.
Corda catenat Amor, tumidæ vis Palladis ora
Strangulat, & fatis blandior uſque meis.
Craſtina blanda Venus ſemper mihi tempora ſpondet:
Craſtina ſed forſan tempora nulla dabit.
Quæ nos ſegnities igitur tam ſera moratur?
Naufragus in mediis quid malè iactor aquis?
Lux ubi curta ſemel cadet, eheu! craſtina nuſquã
Tempora, non ullus ſurget in orbe dies.
Ergo meo quæ finis erit, quæ meta furori,
Si me quæ perimunt, ſic mihi tela placent?

Aſpidis exſugo, & ſapit hoc, furiale venenum
Et quæ dat Colchis toxica, vina reor.
Æſtus, & unda, quies animo ſunt: ipſa vorag
Iam mihi deliciæ, iam mihi fluctus, amor
Et cùm tot iaceam ſine viribus (heu! miſer) anno
Applaudo morbis, & iuvat uſque dolor.
Ah! quæ naſcenti torſiſtis ſtamina Parcæ,
Omina non albæ quæ ceciniſtis aves?
Vt mihi ſic miſero fortuna tènaciter inſtet,
Et premat hoc ſemper dira procella caput?
Poſſe Deos credam tantis gaudere ruinis;
Concedam tantis ſe recreare malis?
Haud ita; nam magno terras molimine curant
De Superis aliter credere, grande nefas.
Has ergo tenebras, hanc nubem ſolvite magni
Cœlicolæ, & pedibus ſtricta metalla meis.
Thebano nunquid ſors hæc magè dura tyranno
Cui tamen inferior crimine vita mea eſt.
Ille, feras inter, noctem toleravit acerbam,
Avulſis rabido fortiter ungue fibris.
Sorte pari damnor, nec cœli cernere lumen,
Nec minimâ poſſum parte videre diem.
Et quaſi ſit noſtri iſtud leve caſibus, ecce
Stricta gravant collum vincula, ſtricta ped
At facite, ut poſſim tandem compage ſolutâ
Ad vos aſſertas tollere ritè manus.

Et tauro rigidus quondam iuga demit arator;
Duraque deſeſſis frena reponit equis.
Turpiter exacto melioris temporis ævo,
Militiæ repetam priſtina ſigna meæ?
Et repetam victus madidam gladiator arenam?
Et repetet ſævas naufraga puppis aquas?
Hoc, Deus alme, veta, ſupplex te deprecor, & me
Tolle neci, merito nè peream ipſe meo.
Infames niveo furias abſolve lapillo,
Nec nigra me damnet Iudicis urda reum.

Dicebam apud me; Ecce modò fiat, modò fiat: & cùm verbo iam ibam in placitum; iam pœnè faciebam, & non faciebam; nec relabebar tamen in priſtina, ſed de proximo ſtabam, & reſpirabam. 8. *Conf. c.* 11.

Intuentibus nobis finem occurrebant tenebræ, & averſabamur gementes, & dicentes; Quamdiu hæc? Et hoc crebrò dicebamus, & dicentes non relinquebamus. 6. *Conf. c.* 10.

Quomdò ardebam, *Deus meus*; quomodò ardebam revolare à terrenis ad te, & neſciebam quid ageres mecùm, 3. *Conf. c.* 4.

CONSVETVDO SATIANDÆ INSATIABILIS CONCVPISCENTIÆ ME CAPTVM EXCRVCIABAT. 6. Conf. c. 13.

O! *Quater, & quantùm nequeo memorare beatos,*
Aurea qui cœlo, tempora, teſte trahunt.
Qui procul à turbis, ſcelerumq; furentibus undis,
Et ſine nube vident, & ſine face dies.
Fons quibus eſt nectar, magnaq; domeſticus ignis
Deliciæ, & paleæ murus, & herba torus.
Rubra quibus fragra, aut longam, ſub veſpere ſedant
Mitia poma ſuo pondere feſſa, famem.
Felices quibus hanc conceſſum vivere vitam;
Nil reor in toto lætius orbe dari.
Illic acta mihi ſi vita fuiſſet ab ævi
Limine, quàm fati ſors foret alba mei.
Sed diverſa nimis neverunt ſtamina Parcæ,
Stamina quæ nigro pollice ducta reor.
Nam vaſtas vix me genitrix produxit in auras
Et potui patrio firmus abire lare:
Cùm varijs ſolui, ſine fronte, repagula noxis;
Perq; novos crevit fœda Iuventa gradus.

Sæp

Sæpè quidem major volui hanc exſtinguere
flammam;
Strenuior noſtrâ ſed fuit illa manu.
Non omnem quandoque levant fomenta dolorē;
Interdum doctâ plus furit arte malum.
Tollere quis tabem fundo potuiſſet ab imo?
Radicem nimiâ fecerat illa morâ.
Imò quod & noſtræ pars non fuit ima ruinæ,
(Læſus enim gladijs pluribus unus eram)
Vis animi, & Gnidiæ nunquam ſaturabilis ardor,
Collaque & intorto vinxerat ære manus.
Non poterat tot vincla comis, tot ſtamina collo
Solvere, non pedibus texta tot æra meis.
Imperio parêre ſuo me longa vetuſtas
Fecerat, & dudum iuſſa ſuperba pati.
Et quamvis orbem nonnunquam compedis unū
Frangere, vi totâ, me potuiſſe ſciam:
Non ideò vinclis valui ſpirare relictis;
Stringebant miſeros ſed nova vincla pedes.
Sic luctata canis nodum licet ardua frangat,
Hanc alia à collo longa catena ſubit.

Alternabant, & impellebant venti huc, atque illuc cor meum; & tranſibant tempora, & tardabam converti ad *Dominum Deum*, & differebam de die in diem vivere

vere in te, & non differebam quotidie in memetipſo mori. 6. *Conf. c.* 11.

Illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat. 8. *Conf. c.* 5.

Libidinis ſervus eram ſatellitio perdurantis conſuetudinis. 6. *Conf. c.* 15.

SVSPIRABAM LIGATVS NON FERRO ALIENO, SED MEA FERREA VOLVNTATE. 8. Conf. c. 5.

M*Anè erat, & verno recreaverat ubere terram,*
Pubentes lactans, lutea Diva, roſas.
Nunquam hilares adeò viſa eſt prodiiſſe ſub auras,
Nunquàm adeò pingui nube pluiſſe merum.
Pandebat cunctos, quia ver erat, aurea Mater
Theſauros, & opes luxurioſa ſuas.
Naiades hic agitare choros, virideſque Napææ,
Arboreæ ſubter frondea tecta comæ.
Ipſe novas æther viſus ductare choreas;
Et terra inſuetam carpere viſa facem.
Aſt Puer *infelix, peſti devotus acerbæ,*
Has Veneres animo turbidiore videt.
Inſomni egrediens thalamo ſuſpiria duxit;
Et lævum ponens, ſternuit ore, pedem.

Sponte

Sponte(quis hoc vidit?)torrens currebat aquarũ;
Qualiter hiberno, per ſata, Sole fluunt.
Mens erat ingentes ſolari Pallade motus:
Diva Sacerdotem fugerat alma ſuum.
Sive leves vellet numeros, ſeu grandia Suadæ
Munia, Pieriam Diva negabat opem.
Ut videt averſis fruſtrà ſe tendere Muſis,
Nec ſolitum reddat quod chelys icta ſonum;
Iratus pluteum cædit, laceratque papyrum,
Et nigris oleum devovet omne locis.
Mæſtus adit pictos millenis floribus hortos;
Quos puro nutrit purior unda vitro.
Quò properas? feret aura tuos levis iſta dolores,
Et furias animi, gemmea prata; tui?
An fugiet regnans torto Metanæa flagello,
Dulcis ubi liquidas Flora profundet opes?
Nil agis, augebis cupiens ſedare furorem;
Quò magè te motas, hoc magè flamma cadet.
Ad Tanaim uſq; licet properes, Rhenũve bicornẽ,
Hæc fuga nil faciet, te premet uſque malum.
Fortè loco ramis reſidens frondentibus iſto,
Attica cœleſti voce comebat avis.
Nunc flexum, nunc acre ſonans, nunc ore puſillo
Cunctos Muſarum viſa ciêre modos.
Quas non blanditias Eôis ebria guttis
Quas ibi non voces, ô lyra viva, dabas?

Hanc

Hanc Iuvenis *patulâ nixus, dum ſuſpicit, or*
Quàm melior, clamat, ſors tua ſorte meâ
Sors nimiùm diſpar, ô cœli lumen Aëdon;
Me miſerum, lepidam te tua fata iubent.
Depromis tremulo mellitas gutture voces,
Æternùm gemitus dum miſer ore traho.
Rides, & dio celebras tua gaudia plectro;
More nivis lacrymas ſole mandentis ago.
O! Pandioniæ ter felix gloria gentis,
Quàm (miſerum!) melior ſors tua, ſorte m
eſt.
Vive diu, Dryas ipſa lares tibi grata miniſtrat
Terra dapes, fontes depluit æthra ſuos.
Auritæ properant per teſqua, per invia Nymph
Nec poſſunt ſaturis auribus ire domum.
Creſcit amor cantus, plus eſt audire voluptas
Nec ſaties magnas accipit ulla Deas.
Te reſonante, levi quoties pede gramina pulſa
Et varios ducunt, per nemus omne, choros.
Vive diu, non te Mavortius excitat horror;
Non ſcelerata ferus clangor ad arma vocat.
Non agitat te cura, catenatique furores,
Quàm (miſerum!) melior ſors tua ſorte m
eſt.
Seu cadat Heſperijs, ſeu ſurgat Phœbus Eöis,
Vtrumque arguto pectine tempus agis.

N

Nos verò iunctis ſuſpiria ducimus undis,
Singultim necat, heu! nos ſine fine dolor.
Vive diu, tuus omnis ager, nemus omne, ſereni
Carminis hoc ſemper dulce minerval habes.

Iam mortua erat adoleſcentia mea mala; & nefanda, & ibam in iuventutem, quantò ætate maior, tantò vanitate turpior. 7. *Conf. cap.* 1.

Non erat quod tibi reſponderem, niſi tantùm verba lenta, & ſomnolenta: Modò: ecce modò, ſine paullulùm. Sed modò, & modò non habebant modum, & ſine paullulùm, ibat in longum. 8. *Conf. c.* 5.

Fremebam ſpiritu indignans turbulentiſſimâ indignatione, quòd non irem in placitum, & pactum tecum, *Deus meus*, eò quò eundum eſſe omnia oſſa clamabant. 8. *Conf. cap.* 8.

Ego eram, qui volebam; ego eram, qui nolebam. Ego, ego eram, nec plenè volebam, nec plenè nolebam. Ideò mecum contendebam, & diſſipabar à meipſo. 8. *Conf. cap.* 10.

X. Tolle,



Tolle lege, tolle lege. S. Aug. 18 Conf. c. 12.

X.

Tolle, Lege ; Tolle , Lege. 18. *Conf. cap.* 12.

FErtilis & pomis, & pictis floribus hortus
Non procul à Ligurum luxuriabat agro.
Mollis ubi innumeros Zephyrus ſpirabat odores ;
Efflabat tenues aura marita roſas.
Delicias ſuperabat ager, genialiter illic
Nam natura ſuas fuderat uber opes.
Hic Patritiades *comitatus Achate gemebat ;*
Imbre per humentes uſque fluente genas.
Quis modus, ô Superi! noſtris quæ meta procellis?
An ſine fine licet, quod ſine fine nocet ?
Cras : heu ! cras quoties, nec adhuc cras emicat ullum :
Quò mihi cras iſtud, quò glaciale riget ?
Memnonios toties thalamos, & plena roſarum
Atria, puniceo pandit Eöus equo ;
Et cras iſtud abeſt, toties rota lucida Solis
Adfuit, & mihi cras non vehit illa meum.
Ergóne perpetuâ noctis mœrebimus umbrâ,
Craſtina blanditijs dum venit hora meis ?
Vſque adeóne meæ fallax dabo verba ſaluti,
Quæq; iacet longè, ſpes mihi ſemper erit?

Vm-

Umbroſo patulæ recubans ſub tegmine fici
Edebat tales triſtior ille ſonos.
Hæc manalis erant lapis; undiq; & undiq; gutta
Elicit, & largo proluit imbre ſolum.
Enumera ſegetes Libyæ, baccaſque Venafri.
Quot Tmolus botros, quot parit Hybla favos
Et quot aves motis percurrant aëra pennis,
Quanta maris findat cærula turba vias;
Nec numerabis adhuc lacrymas, quas pector
fudit;
Ut gravida æſtivis nubibus unda cadit.
Fixus humi, muto ſimilis, quaſi carcere aperto,
Currebant oculis flumina bina ſuis.
Dixiſſes pluſquam materno funere triſtem;
Si non hic ſcelerum lugubre funus erat.
O! quoties gemitus, quoties ſuſpiria rupit,
Ficulnaſque fidit voxque, jecurque comas.
O! quoties Dryades ſingultibus implorâre:
Miſcuit & gemitus garrula Diva ſuos.
Et numero vox lapſa domo diſverberat aures,
(Æthereo ſi non vox ea lapſa polo)
Tolle, lege, (*exanguis voluit ſua lumina circū*
Et liquidò inclamat altera, Tolle, Lege.
Obſtupuit, ſteterunt gemitus, lacrymæq; perer
nem,
Neſcius hanc Suadam ferre, ſalutis opem.

Hæ

Hæret, an hæc blandæ trivialia carmina pupæ,
Hæret, an hæc pueri ludicra ſortè canant.
Nec videt hæc pueros, nec dicere carmina pupas;
Arcanum ſed ineſt hîc mihi numen, ait.
Fortè ſacros Superi mandant reſerare libellos;
Et mandant, certè verba iubentis erant.
Continuò currit, legit; & mirabile dictu,
Obvia ſunt animo cœlica ſenſa ſuo.
Quanta tuæ ſunt, Magne Deus, *miracula dextræ;*
Momentò tabulas cepit, & alter abit.

Iactabam voces miſerabiles, Quamdiu? Quamdiu? Cras, & Cras. Quare non modò? Quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? 8. *Conf. c.* 12.

Ego ſub quadam fici arbore ſtravi, & dimiſi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum. Et ecce audio vocem de vicinâ domo cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quaſi pueri, an puellæ neſcio, *Tolle, Lege; Tolle, Lege.* Repreſſoque impetu lacrymarum ſurrexi, nihil aliud interpretans niſi divinitus ut aperirem codicem. Arripui, aperui, & legi: *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus;*

tatibus; non in cubilibus, & impudicitÿs; no in contentione, & æmulatione, ſed induimin Dominum IESUM CHRISTUM 4. *Conſeſſ cap.* 12.

Ego iam abrupi me ab illâ ſpe noſtrâ, & Deo ſervire ſtatui, & hoc ex horâ hac, in hoc loco aggredior. 8.*Conſ. c.* 6.

VBI ERAM PRIVSQVAM SVBDE REM CERVICEM LENI IVGO TVO, ET HVMEROS SARCINA TVÆ, CHRISTE IESV ADIV TOR MEVS, ET REDEMPTOR MEVS. 9. Confeſſ. cap. 1.

NEc ſcio, nec poſſum verbis memorare, perac
Quo ſint ſub cœlo, quo vel in orbe dies
Iam propè dimidium compleram labilis ævi,
Antêibat medias fors mea vita vias:
Dicere nec potui quali ſub ſidere ſtarem;
Omnia ſic rebus nigra fuêre meis.
Audivi quendam Phœboq́ꝫ, & luce carentem
Extremo procul hinc eſſe ſub orbe locum.
Iſtis tota mihi tracta eſt, puto, finibus ætas;
Aut alio, ſi quod triſtius orbe latus.
Ah! quoties cœlo lucem dum poſcit ab omni,
Et tenebras Genitrix flet ſine fine meas:

O Sol

O Sol, ô, dixit, nitidum caput exſere, tuq́ hunc
Anteveni roſeis, Lutea Diva, rotis.
Multus ubiq́ anguis ſicci furit igne veneni;
Multus ubiq́ rogus, multus ubiq́ dolus.
Nec caſus iſtos valet hic vitare, nec illos,
Ni veſtrum ſupero ſurgat ab axe iubar.
Sol tamen auratis nunquàm caput extulit aſtris;
Nec roſeis viſa eſt Lutea Diva rotis.
Hæc rerum facies fuit, & fortuna mearum,
Veſtiret molles dum levis umbra genas.
Felices, teneris Domini, qui ferre ſub annis
Incipiunt hilari pectore dulce iugum.
Sarcina grata quibus magni ſunt iuſſa Tonãtis:
Et nihil eſt levius, ſi placet iſtud onus.
Nil uſquàm levius (quis enim precor abnuet iſtud?)
Nil iſto maius, divitiuſq́ iugo.
Servitium præit hoc regumq́ ducumq́ thiaras,
Et geminus quidquid nobile mundus habet.
Sunt ibi lætitiæ, luſuſque, epulæq́ue perennes;
Et pax & Veneres, & ſine fine chori.
Et quod mireris, libertas compede tali
Nec dici melior, nec prior ulla poteſt.
Felices igitur primis qui ferre ſub annis
Incipiunt hilari pectore tale iugum.

Exarſi

Exarſi in adoleſcentiâ, & ſylveſcere auſu ſum varijs & umbroſis amoribus, & conta buit ſpes mea, & computrui coram oculi tuis. 2. *Conſ.c.* 1.

Infelix pecus aberrans à grege tuo, & impatiens cuſtodiæ tuæ, turpi fœdebar ſca bie. 3. *Conf. c.* 2.

Ego peccavi, tu me viſitaſti; ego ceci tu me erexiſti: ego ignoravi, tu me docu ego non vidi, tu me illuminaſti. *Sol. c.* 6.

Erravi ſicut ovis perdita, & incola meus prolongatus eſt; atque procul proiec ſum à facie *Domini Dei mei* in hanc ex cæcitatem. *Med. c.* 20.

Ubi verò alta conſideratio in conſpectum cordis mei intravit, cöorta eſt procella ingens ferens ingentem imbrem lacrymarum. 8. *Con feſſ. cap.* 12.

Punctum ipſum temporis, quo aliud fu turus eram, quantò propiùs admovebatur tantò ampliorem incutiebat horrorem: ſe non recutiebat retrò, nec avertebat, ſe ſuſpendebat. 8. *Conf. c.* 11.

T

TV NON POTERIS QVOD ISTI, ET ISTÆ? 8. Conf c. 11.

Q*Vid vecors dubitas? quid huc, & illuc*
Æger conſilij labas, ruiſque?
Nunc libet, modò quod libet relinquis,
ertumno magè mobilis marino,
magis folijs levis caducis.
pedem trahit, avocatque ſenſus
lis ſanguine quod cruenta multo;
d rotæ, gladij, cruces, & haſtæ hic
admæis quaſi pullulent in agris?
Nugæ: nam violæque, floſculique
uri, virginei, tenelluli que,
Et quidquid Charis elegantiarum,
Et quod Flora parit ſuavitatum,
In hoc quod trepides virent virêto,
Iſtis, quæ fugis, emicant in agris.
Aude; quid ruis, & timore torpes,
Deſpondeſque animum, evolaſque retrò?
An tu non poteris quod iſti & iſtæ?
Quod poſſunt tremuli ſenes, anuſque,
Matronæ, puerique virgineſque,
Excors, ô! nimis, & magis columbâ,
Et cervo magè palpitans, & agno,

Si quod matris ab ubere & puellæ,
Et cunis pueri queunt ab ipſis,
Tu recto, & ſolido virore firmus,
Hoc, cœlo auſpice, poſſe te negabis.
Tantum aude, & poſito timore perge.
Surſum te videt, & vocat Brabeutes,
Parans laureolam, paranſque multis
Aurum tortile, lucidumque gemmis.
Auſculta Genio, & Deo vocanti;
Mox rotas, gladios, cruces, & haſtas,
Quæ frangunt animum, videbis eſſe
Roſis, & violâ, croco, atque myrrhâ,
Et dulci magè delicata nardo.
Hæc docto modulans ſonabat ore,
Caſto, quæ Dea caſtior, columbo,
Lilio quoque purior nivoſo.

Ego in exordio adoleſcentiæ petieram à te Caſtitatem, & dixeram; Da mihi caſtitatem, & continentiam, ſed noli modò. Timebam enim ne me citò exaudiret, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri, quàm extingui. 8. *Conf. cap.* 7.

Aperiebatur caſta dignitas Continen-tia

tiæ, honeſtè extendens ad me amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum, & blandiens ut venirem, neque dubitarem. Et irridebat me irriſione exhortatoriâ quaſi diceret, *Tu non poteris quod iſti, & iſtæ?* An verò iſti, & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino *Deo* ſuo? Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te ſecurus, non ſe ſubtrahet, ut cadas. 8. *Conf. c.* 11.

Non cogitabam medicinam miſericordiæ tuæ ad noſtram infirmitatem curandam, quia expertus non eram, & propriarum virium credebam eſſe continentiam. 6. *Conf. c.* 11.

O! amor qui ſemper ardes, & nunquam extingueris; charitas, *Deus meus*, accende me. Continentiam iubes: da quod iubes, & iube quod vis. 10. *Confeſſ. c.* 29.



Rapiunt indocti Cælū, et nos cū doctrinis noſtris
vbi volutamur? in carne et ſanguine. S. Aug. 8. Conf. c. 8.

XI.

Rapiunt indocti cœlum, & nos cum doctrinis noſtris ubi volutamur? in carne, & ſanguine. 8. *Conf. c.* 8.

Noctes atque dies Gnidio torpemus in antro:
Et placet in Gnidio ſegniter eſſe luto.
Opprimit, & penetrat vivis mea corda ſagittis
Igneus ille Puer, lethifer ille Deus.
Nec volo diſcedant ferales pectore flammæ;
Nec volo diſcedat, quod mihi virus obeſt.
Intereà magnis aſcendunt paſſibus aſtra,
Quêis duxi in toto vilius orbe nihil.
Aſtra gigantæo Pygmæos ſcandere paſſu,
Et ſuperas ſpecto vi reſerare fores.
Et pleno ſpargunt nobis convicia plauſtro;
Hæc eſt Palladio nectare plena cohors.
Pallade digne cohors, clamant, quæ Cypridos aris
Sacra facit, Baccho turpia ſacra Deo:
Quid Phœbum coluiſſe iuvat? quod tēpore multo
Vos ſacris prodeſt invigilaſſe choris?

 At-

Athlantas pueri præeunt, ô! maſcula corda,
O! Phryges, ô! Paphiæ turba miniſtra Deæ.
Dicite quæ Circe veſtros emaſculat artus?
An quia prægredimur, vos pudet ire viam?
His alacres nos explodunt, agitantq́ cavillis:
Et quia præcedunt, iſta licêre putant.
Vecordes ederæ quid me fœviſtis inertem,
Si ſtudio ſunt hæc accipienda meo?
Nocturnis ideò volui palleſcere chartis,
Aõnias ſtudio ſollicitare Deas:
Vt ſordes inter ducam miſerabilis ævum?
Tam tetris ut me mens mea perdat aquis?
Haud equidem credent, ſed res certiſſima mentis
Dædala vis, noſtrum perdidit ipſa caput.
Sic onerata nimis, nimis acta ferentibus Euris
Obruitur medio ſæpè carina mari.
Sic domus, & turris pluvio quæ vapulat Auſtro
Mole ſuâ, & nimio pondere preſſa ruunt.
Vtq́ minora feram, ſic proles multa parentem,
Vnaq́ multa necat, multaq́ bacca ſuam.
Ter decies meſſor Cereri libavit ariſtas;
Cornigeroq́ dedit dulcia muſta Deo,
Quò Paphijs (quis enim neſcit?) malè milito caſtris
Et ſignis mereo, fœda Volupta, tuis.
Ah! quoties oculo turbavit Lesbia pectus;
Incendit flammis ſalſa Corinna iecur.

Nunc

Nunc aderant multis ornata pectora gemmis;
Qualis Apellæis eſt Venus in tabulis.
Nunc aderant mirâ laqueatis arte capillis;
Vtraq; nunc pictis vafra, ſalaxq; genis.
Quid facimus? non ſunt ſincera hæc gaudia, dixi;
Illa ſuis malè nos perdet, & illa bonis.
Spurcities tamen hæc placuit, nec poſſe putabam
Vivere, fœda Venus, ſordibus abſque tuis.
O! pudor, amplecti, quaſi dulcia cinnama, cœnum,
Et ſiliquis animum paſcere, corda luto.

Tum in illâ grandi rixâ tam vultu, quàm mente turbatus, invado Alipium, & exclamo; Quid patimur? Quid eſt hoc? Quid audiſti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur, in carne, & ſanguine? 8. *Conf. c.* 8.

An quia præceſſerunt pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi? *Ibid.*

Omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus pervenire? Maiórne poterit

eſſe ſpes noſtra in palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? Et tibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio. 8. *Conf. c. 6.*

VOLVTABAR IN COENO PLATEARVM BABYLONIÆ, TANQVAM IN CINNAMOMIS, ET VNGVENTIS PRETIOSIS. 2. Confeſſ. c. 3.

Phœbe, caput cœli, radio qui præpete ſpectas
Oceanum, totam qui vagus ambis humum,
Dic mihi, flammiferâ vidiſti lampade, plura
Vnquam nequitijs, & graviora meis?
Ianua laxata eſt vitijs, quo tempore liqui
Lacteolas matris parvus Ephebus aquas.
Enumerem vetitâ demptos ex arbore fœtus,
Vt Pomôna tuas depopulabar opes?
An Gratiæ referam dicteria iacta Minervæ,
Mœonias ſuetum rodere dente Deas?
An ferulæ extendiſſe manum poſcente magiſtro?
Pinxerit ut teneram plurima ſylva cutem,

Quod pila plus animo ſaperet, quàm Pallas, & ipſe
Qui levis inflicto verbere, turbo volat?
Hæc elementa meis ſunt prima furoribus, illo
Crevit, & aucta fuit mens, animuſq; modo.
Et quamvis exoſa, tamen quia vera fatebor;
Et fiam mundo nunc quoque teſte reus.
Audiet & Medum toſtus qui potat Hydaſpen;
Et qui Caucaſeâ ſub nive torpet iners.
Nec fuerit vulgare pudor, pudor exulet à te,
Qui commiſſa doles, qui cupis eſſe pius.
Prô! quoties finxi, facerent quæ facta ruborem:
Et mens in fraudes ingenioſa fuit.
De vitijs certamen erat; palmam ille tenebat,
Cui minimum ſancti cura pudoris erat.
Hæc fuit in noſtro lis non ſemel acta ſenatu,
(Sit mihi narranti talia, vera fides)
Flagitijs qui polleret gravioribus, illum
Ocyus emerito tollere in aſtra ſono.
Dij Superi! quanta caligine volvimur: altâ
Vt primæ ætatis tempora nocte jacent.
Nil mihi ridebat niſi Thisbe, & Pyramus; & quæ
Naſonis docto Muſa calore crepat.
Nunc Phaëtontæos mirabar perditus axes;
Et valuiſſe patris poſcere Solis equos.

Magnanimum duxi ; placuêre pericula tanta,
Et mihi tam miſerâ ſorte beatus erat.
Icarij viſa eſt generoſa audacia curſus,
Cæruleis etſi merſerit ora vadis.
Teſtes Pegaſides, quondam mea numina menten
Vt rapuit Siren Virgiliana meam.
Sic incendebat gratâ dulcedine ſenſus,
Ebria ut hoc dio nectare penna foret,
Sæpè meis ibat lacrymarum pontus ocellis,
Cùm legerem Didûs fata cruenta ſuæ.
Hoſpitis ingrati non exorabile pectus
Devovi, & properâ quod trabe fecit iter.
Verſabam tener alterius pro funere fontes;
Nec mihi jam caſſo lumine, mœror erat.

Aciem mentis de profundo educere co-natus, mergebar iterùm ; & ſæpè cona-tus, mergebar iterùm atque iterùm. 7 *Conf. c.* 3.

Non ſanabatur vulnus meum, ſed poſ fervorem, doloremque acerrimum putreſ-cebat, & quaſi frigidiùs, ſed deſpera-tiùs dolebat. 6. *Conf. c.* 15.

Æſtuabam, ſuſpirabam, flebam, tur-babar ; nec requies erat ; nec conſilium. 4. *Conf. c.* 7.

Tenêr

Tenêre cogebar Æneæ neſcio cujus errores, oblitus errorum meorum; & plorare Didônem mortuam, quia ſe occidit ob amorem, cùm intereà meipſum in his à te morientem, *Deus*, vita mea, ſiccis oculis ferrem miſerrimus. 1. *Confeſſ. cap.* 13.

In omnibus erat caligo intercludens mihi, *Deus meus*, ſerenitatem veritatis tuæ, & prodibat, tanquam ex adipe, iniquitas mea. 2. *Confeſſ. c.* 3.

VÆ! VÆ! PRÆTERITÆ IGNORANTIÆ MEÆ, QVANDO NON COGNOSCEBAM TE DOMINE. Sol. c. 33.

HEi! mihi fatorum ſeries malè fauſta meorum;
Hei! nigra nimiùm vellera torta manu.
Quàm ſtultè primi ceſſit mihi temporis ætas;
Quàm memini vernos nequiter iſſe dies.
Cor ſalit admonitu lapſi tot fluctibus ævi,
Et nimius fari non ſinit ora dolor.
Væ! mihi, væ! nocti, piceo quæ lumina peplo;
Ætatiſq; dies abſtulit atra meæ.

Quò poteram, mea lux, ſine te, niſi perditus altos
In mortis ſcopulos, & vada cœca rapi?
Quò poterat ſine te properans, niſi perdita ferri,
Inter Sirenes, dulcia monſtra, ratis?
Sola ſuum Cypris lumen præbebat eunti;
Hæc Helice, hæc Arctos, hæc mihi Gnoſſis erat.
Ah! quoties iſtos, ad te dum fortè reverti
Tentavi, Siren reddere viſa ſonos.
Ne, puer, heu! noſtros unquam ne deſere cœtus:
Tot tibi ſunt luſus nauſea, tótne joci?
Tot riſus, tot blanditias, tot gaudia ſpernis?
Tam benè nota, miſer, ſic fugis hoſpitia?
Grata domus tenero quæ nos aſpexit ab ævo:
Lætior & ſolito flet Philomela rubo.
Diligit arma, quibus ſævos Dux uſus in hoſtes;
Cum quo bellavit miles honorat equum.
Gentibus eſt cunctis, dirum velut omen hirundo,
Sole malo, noſtrum quod fugit uſque polum.
At quia fida manet ſolitos neque deſerit agros,
Omnibus eſt meritò grata columba locis.
Quò curris? fœtáque necas truculentior urſâ,
Indolis, heu! nimiùm ſemina læta tuæ?
Si quis cùm primis vitem malus amputet uvis,
Pomáque præcipiti tollat acerba manu.

An

An non ille ferus? ſinat edita vivere, grandi,
Quæ legat, accurret ſat cita Parca, gradu.
Sic tu, flos Iuvenum, vernos ſine creſcere fructus;
Et ſine perſuetas ſurgat ut herba vias.
Prima volunt luſus, & molles, tempora, ſoles;
Lude, decent annos omnia læta tuos.
Nec ſemper dabit uva comas, nec paſcua flores;
Vileſcet poſitis candida ſpina roſis.
Quàm citò pulchra ſuum amittit Thaumantias aurum,
Quàm citò candentes populus alta comas;
Quàm citò perdit humus vernos formoſa colores,
Præterit & celeri corporis umbra gradu:
Tam citò, quô flores, brevis hæc tua tranſvolat ætas;
Quæ curſim, nullo frena tenente, fugit.
Non ullam Superi requiem velocibus annis,
Formæ non ullam fata dedêre moram.
Hæc mihi Sirenes, Cnidÿs dum jactor in undis
Sæpiùs, inſano gutture verba dabant.
Verba dabant, annexa quibus certiſſima noſtræ,
Ni citò fugiſſem, pocula mortis erant.
Quæ dũ ſic faciũt, quid erat niſi virus in angues
Projicer & rabidis tradere ligna focis?

Væ!

Væ! tempori illi, quando non cognoſcebam te. Væ! ſurditati illi, quando non audiebam te: cœcus enim, & ſurdus per formoſa, quæ feciſti, deformis irruebam. *Sol. c.* 31.

Deus, lumen cordis mei, & panis oris animæ meæ, non te amabam & fornicabar abs te, & fornicanti ſonabat undique Euge, euge: amicitia enim hujus mundi fornicatio eſt abs te. 1. *Conf. c.* 13.

Longè peregrinabar abs te, excluſus & à ſiliquis porcorum, quos de ſiliquis paſcebam. 3. *Conf. c.* 6.

Miſerere, ne deſperem; etſi ego commiſi unde me damnare potes, tu non amiſiſti unde ſalvare ſoles. *Med. c.* 39.

FINIS LIBRI I.

Liber Secundus.

Quænam, obſecro, mater parvulo uteri ſui filiolo, quem gremio fovet, tam tenerè loquitur, ita verbis applaudit, oculis arridet, geſtibus exhilaratur, ut Deo ſuo, Redemptori ſuo, IESU ſuo AUGUSTINUS?

B. THOMAS A VILLA NOVA.



Ecce Cor meum Deus, ecce Cor meum quod miſeratus es in imo abyſsi. S. Aug. 2. Conf. c. 4.

XII.

Ecce cor meum, DEUS, Ecce cor meum, quod miſeratus es in imo abyſſi. 2. *Conf. cap.* 4.

Tandem proripui limoſo gurgite, tandem
Abſolvit miſeros arcta cataſta pedes.
Utinam (quid enim non deprecer?) impia letho
Vincula veniſſent ſeriùs illa meo.
Quantum mœroris properatâ morte periſſet;
Dempta forent oculis flumina quanta meis.
Tunc poteram cum laude mori benè, quæ mihi Parca
Poſteà deduxit ſtamina, culpa fuit.
Sed benè conſuluit tandem Metanœa labori,
Cruribus exilijt crimen, onuſque meis.
Aſſeruit iam ſe mea mens, iam compede fractâ
Cor abit, & rectâ tendit in aſtra viâ.
Quis memoret tua dona, DEUS*? retinebar abyſſi*
Faucibus, en fracto carcere, liber eo.
Et quæ dulce fuit quondam mihi vincula ferre,
Iam pudet, ac graviter iſta tuliſſe nocet.
Cuius ergo DIJS *grates pro munere tanto*
Redde, novi niſi vis criminis eſſe reus.

Sed

Sed quæ cæſa ſacros nunc imbuet hoſtia cultros?
Obruet, heu! cunctas tam grave munus opes.
An dabis Eöas, pretioſa peculia, gemmas?
An dabis admiſto nardina multa croco?
Hæc ſi fortè Deo dare vis, quidnam dabis? un
Omnia nam nutu condidit illa ſuo.
Quòd vivis, quòd ſis liber, quòd faucibus Orci
Ereptus ploras crimina, id omne Dei eſt.
Magdala gemmato lacrymantia balſama nimb
Ad Domini nudos obtulit uda, pedes.
Abrâmus voluit, cœlo monſtrante, paternas
Vnigenæ iugulo commaculare manus.
O! Superi, ô! ſparſus noſtro ſi ſanguine ceſpes
Cœleſti gratum fumet arôma choro.
Si per fruſta chalybs, ſi me malè devoret ignis,
Et magno moriar victima ſacra Deo.
Sed quid ago? quò me cordis vagus arripit æſtus
Res eſt, ut video, neſcia mentis Amor.
Nam quid opes, cælum, quid gēmas deniq; curat
Dona cor, gratus ſi cupis eſſe Deo.
Cor petit, ô! felix partem hanc qui deſtinat aſtri
Quam ſurſum, telo præpete, mittit Amor.

Ecce cor meum coram te eſt, diſcu te tenebras eius, ut amoris tui claritat pleniùs perfundatur. Da mihi, *Deus meus*

te; redde mihi te; en amo te, & ſi parum eſt, amem validiùs. *Med. c.* 18.

O Anima inſignita Dei imagine, redempta Chriſti ſanguine, ornata virtutibus, deputata cum Angelis, dilige illum à quo tantùm dilecta es: Deus ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ, ſuaves, mites, humiles, & miſericordes requirit. *Man. c.* 24.

Anima tibi vivat, quæ mortua erat, in delicijs vivens, delicijs, *Domine*, mortiferis: nam tu puri cordis vitales deliciæ. 13. *Conf. cap.* 21.

SERO TE AMAVI PVLCHRITVDO TAM ANTIQVA, ET TAM NOVA, SERO TE AMAVI. 10. Conf. c. 27.

FOecundo matura ſeges velut ardet in agro,
Dum Cereale coquit Sirius igne ſolum:
Ætnæus veluti torret (ſi credere fas eſt
Vatibus) Enceladi corpora vaſta rogus;
Torruit AURELI *ſic enthea flamma medullas;*
Et quaſi præ nimo mortuus igne fuit.

Vix

Vix benè guſtarat quid Amor, novus advena poſſet;
Cùm totum in flammas illicò pectus ijt.
Vt verò ſe vis animi, fervorque remiſit,
Mens quoties tales eſt iaculata faces.
Serò nimis, mea vita, tuis ebullio flammis;
Figo tuis plantis oſcula, ſerò nimis.
Heu! pereo, quia te perij ſine, te ſine vixi:
Damna voluptatis quàm pretioſa meæ!
Has ego delicias (geminos ſiccabat ocellos)
Contempſi? his potui ſtultus abeſſe bonis?
Quis credet? quis non dementem dicet, & iſtam
Damnabit riſu, tempus in omne moram?
Hoc eſt quod noſtras pungit, cruciatque medullas;
Hæ mihi iam triſtes ſunt in amore moræ.
Ite oculi, vitreis fontes effundite clauſtris;
Ite, mei fontes ſigna doloris erunt.
Segnities, ô! amara meis, ô! acerba medullis,
Segnities quantis invidioſa bonis!
Hæc PATER *eximio flagrans ardore gemebat;*
Vt gemit occiſo caſta columba viro.
Sive diem Titan pandat, ſeu Cynthia noctem;
Nox erat uda, & erat fletibus uda dies.
Plorabat ſine fine ſacræ diſpendia flammæ;
Nec lacrymis requies, nec mora viſa fuit.

No

Non ſemel hos fervore novo quaſi perditus, atque
Languidus igne pios protulit ore ſonos.
Ergô ego te tandem video, ô pulcherrime rerum!
An fallit vultus umbra cupita meos?
Ergô ego te video, & teneo, ô flos aureus orbis?
Et licet æthereo molliter ore frui?
O! Superi, tu noſter oris, tu baſia nobis?
(Cor trepidat, languent viſcera, labra ſilent)
Et tu noſter eris, mea Lux, mea Vita? placetque
Immundos huius cordis adire lares?
Depuberſi te, mea ſera, at magna voluptas,
Vidiſſem, quantos res daret iſta jocos.
Si ſaltem, ſi te noſſet maturior ætas,
Duxiſſet niveam quàm mihi Parca colum.
Sed damnum reparabit Amor, duplicabitur ardor;
Iuro ſidereas, per tua tela, faces,
Serò licet, mea Vita, tuis ebullio flammis,
Iacturam ardenti fœnore reſtituam.

Serò te cognovi, lumen verum, ſerô te cognovi. Erat autem nubes magna, & tenebroſa ante oculos vanitatis meæ; ita

ita ut videre non poſſem ſolem juſtitiæ, & lumen veritatis. *Sol.c.33.*

Immenſus es, *Domine*, & ideò ſine menſura debes amari, & laudari ab ijs, quos tuo pretioſo ſanguine redemiſti. *Med.c.35.*

Deus, vita animæ meæ, per quam vivo, ſine quâ morior, gaudium cordis mei, & lætitia ſpiritus mei, diligam te toto corde meo, & toto animo meo, & totis medullis meis, & viſceribus meis, quia tu prior dilexiſti me. *Sol. c.7.*

Diligam te, *Domine*, & gratias agam, & confitear nomini tuo, quoniam tanta dimiſiſti mihi mala, & nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quòd peccata mea tanquam glaciem ſolviſti. 2. *Conf. c. 7.*

IN DEDECVS MEVM CREVERAM, ET CONSILIA MEDICINÆ TVÆ DEMENS IRRIDEBAM, QVI ME NON SIVISTI TALEM BIS MORI. 5.Conf.c.9.

Q*Vis valeat fluctus unquã memorare Iuventæ*
Et primò rabiem hoc quæ ſolet eſſe freto
mill

Mille ubi cum ventis bacchantur mille procellæ;
Mille cadunt noctu fulmina, mille diu.
Paucos, ſi rectè videas, ſuperaſſe videbis
Talia non læſo, totáque pericla pede.
Sic primæ ætatis malè curritur area, & ipſa
Optima quæ vitæ tempora, lapſus habet.
Multa dies ibat, ſpatium miſerabile nobis,
(Heu! lacrymis nunquam ſors caritura meis)
Libertas effrena magis cùm perdere noſtram,
Et rabies ævi viſa, magiſque ratem.
Tempora tranſierant veloci plurima paſſu,
Et florem vitæ legerat hora rapax;
Uſque tamen toto furor hic remanebat in ævo,
Nec me nequitiæ dedecuêre meæ.
Ibam, quò ſævi rapiebant carbaſa venti,
Nullaque ſat tantis ars erat apta malis.
Saxa per, & ſcopulos, & acutas undique cautes
Cœco currebat turbine cœca ratis.
Utque ferus, duraque nimis cervicis, habenis,
Quælibet, effractis, per loca fertur, equus:
Sic non quò decuit, ſed quò tulit impetus, ibam;
Laxaram Genio cunctaque frena meo.
Traxiſſent quoties imis ſub fluctibus alnum
Hinc amor, hinc Cypris, perpes uterque furor:

Idaliæ quoties Matris me flamma, tumorq́ue
Mentis duxiſſent noctis ad antra nigræ :
Ni ſubitus mediâ veniſſet Typhis in undâ ,
Rexiſſet noſtram, qui pius, arte, trabem.
Credite, iam duri ſubiiſſem limina fati ,
(Nil iſto vero verius eſſe poteſt)
Eſſet iampridem ſpoliatum lumine corpus ,
Et noſtrum tegeret vilis arena caput:
Ni facilis Virtus cœlo properaſſet ab alto ,
Ora, necaturis, quæ rapuiſſet, aquis ,
Ah! quantum tibi, Lux, pro tantis debeo doni
Qui meritis imples nos ſine fine tuis ,
Qui facis, ut longo feſſi iaceamus ab æſtu ;
Ad ſanum coëant vulnera iamq́ue mea:
Antè equidem fugient turres,gens pura,colum
Et fugiet taurus paſcua, piſcis aquas :
Quàm malè ſe memorem mea mens tibi præſt
& unquàm
Oblitus poſſim muneris eſſe tui.
Æternùm penitis hæc ſunt victura medullis ;
Et merito grates carmine ſemper agam.

Eram ſine deſiderio alimentorum inco ruptibilium , non quia plenus eis eram , ſe quò inanior , eò faſtidioſior. 3. *Conf. c.* 1.

De

Dedignabar eſſe parvulus, & turgidus factus mihi grandis videbar. 3. *Conf. c.* 5.

Reſidebat tumor meus ex occultâ manu medicinæ tuæacieſque conturbata, & contenebrata mentis meæ, acri collirio ſalubrium dolorum meorum de die in diem ſanabatur. 7. *Conf. c.* 8.

Quid me fœdius fuit fallendo innumerabilibus mendaciis, & pædagogum, & magiſtros, & parentes amore ludendi, ſtudio ſpectandi nugatoria, & imitandi ludicra? 1. *Conf. c.* 19.

Ego peccavi, tu me viſitaſti, ego cecidi, tu me erexiſti, ego ignoravi, tu me docuiſti; ego non vidi, tu me illuminaſti. *Sol. c.* 6.



Quis accepit manum meam, vt ex tenebris, quas amabam me educeret? S. Aug. Sol. c. 37.

XIII.

Quis accepit manum meam, ut ex tenebris quas amabam, me educeret? *Sol. cap.* 37.

NOn ita Cimmerias fuſcat nox luridæ gentes,
Vnde ſuos Phœbus ſemper abegit equos:
Quàm piceo vixi circumdatus undique velo,
Florida dum primi tempora veris erant.
Dircæum tali nunquam caligine Vatem
Damnavit magni nupta, ſororque Iovis.
Nunquam poſt geminis avulſos ſedibus orbes,
Tam fuit umbra tuis, Oedipe, cœca genis.
Vah! quoties viridi dum turpe vagamur in ævo,
Et regit affectus cœca Libido meos;
Cernuus impactâ cecidi cervice, (Voluptas
Sic erat apta meæ duxque, comeſque viæ:)
Et modò me Cypris, modò me proſternit Iâcchus,
Et nata in caſus cetera turba meos.
His ſepti nebulis primos exegimus annos;
Lapſi ſunt primi, fata per iſta, dies,
Quæ quoties animo ſubeunt, triſtorq; gemoq;
Et lacrymæ, rapidi fluminis inſtar, eunt.

Nunc verò pulſâ ſcelerum caligine, puri
Redduntur nobis, & ſine-nube dies.
Eſtis, iô, Superi (nec enim me prendere poſſum,
Nec reſerare meo gaudia tanta ſinu)
Eſtis, iô, bis iô; quid enim jucundius unquàm,
Quid poſſent homini celſius aſtra dare?
Hæc & Erythræo lux eſt ſignanda lapillo;
Hæc Cilicum, hæc Arabum munere digna dies
Cujus erit meminiſſe mihi ſine fine voluptas;
O! verè votis una beata meis!
Non ita Troiano gaviſus Atrida triumpho,
Cùm Priami celſas verteret ignis opes:
Non ita poſt longos terraq́ꝫ, mariq́ꝫ labores,
Intraſti patriam, lætus Vlyſſe, domum;
Quàm feror, & tanta rapior dulcedine, quod ne
Pingere penna queat, lingua nec ipſa loqui.
Tu DEUS *hoc, noſtris tutamen, & aura perîcli*
Quo ſine jam premeret nox inimica caput,
Feciſti, cùm me dextrâ, levâq́ꝫ prehenſum
Solviſti, rumpens vincula tetra Stygis.
Quæ mihi durabunt imis ſine fine medullis;
Perpetuumq́ꝫ memor muneris huius ero.
Antè tenebroſum Titan reget aureus axem,
Et feret auratum pallida Luna diem;
Scylla priùs placidum præbebit navibus æquor,
Et quæ commiſſas ore retorquet aquas;

Qu

Quàm ſurdis pietas veletur tanta tenebris,
Et meriti ſiat gratia cæca tui.

Tuliſti me, *Domine*, de domo patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum; & inſpiraſti mihi, ut ſequerer te, cum generatione quærentium faciem tuam ambulantium ſemitam rectam, commorantium inter lilia caſtitatis, & tecum diſcumbentium in cœnaculo altiſſimæ paupertatis. *Med. c.* 39.

Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de viſco tam tenaci mortis eruiſti. Quàm miſera erat, & ſenſum ſui vulneris tu pungebas, ut relictis omnibus converteretur ad te, qui es ſuper omnia, & ſine quo nulla eſſent omnia. *6.Conf.c.* 6.

Tu ſancte, *Domine Deus meus*, miſericors & miſerator, quem confiteor toto corde meo, non te quærebam, tu me quæſiviſti; non te invocabam, tu me vocaſti. *Sol.c.* 33.

TRIBVE MIHI VT LAVDET TE COR MEVM, ET LINGVA MEA, ET OMNIA OSSA MEA. Man. cap. 5.

Quæ Muſa, Vatum quæ lyra maximûm
Dignis valeret carminibus tuas
Cantare virtutes, potentûm
Magne Deorum, hominumq́ue Rector?
Non ſi ſuperbas Mæonius ſonet
Fides Homerus, Callimachi licet,
Sapphuſque, & Alcæi tenellis
Metra parent graviora chordis.
Tu major omni principio Pater,
Et finis expers immemorabilis,
Rerum nitentûm tu repertor,
Et Stygij domitor tyranni.
Tu mortis antehàc inſuperabiles
Portas tremendâ vi ſuperans, levas
Fractis triumphator catenis
Innumeram ſuper aſtra turmam.
Tu cauſſa vitæ, tu fidei ſator,
Tu fons ſalutis, quem polus, & mare,
Et bruta tellus expaveſcit
Cuncta ſupercilio regentem.

Quod

Quòd clara fixo cardine machina
Orbes perennet; proximior ſuo
Diana fratri, quòd latentis
Damna queat reparare vultus,
Quòd vere primo parturiant agri,
Nec jam caducum ſuſtineant onus
Pomi laborantes, novóque
Prælа fluant rubicunda vino,
Hæc ſunt ſtupendæ monſtra potentiæ,
Qua noſtra paſtu corpora recreas,
Immane guttur quâ ferarum
In medijs reficis cavernis.
Hæc & profeſtis lucibus, & ſacris,
Vernis revinctus tempora floribus,
Altare propter perſonabo
Egregio modulatus ore.
Hæc inter agros compoſitis modis,
Saltuſque dicam; nec mea Phoſphoro
Naſcente ceſſabit Camœna,
Nec profugo latitante Phœbo.

Laudare te vult homo circumferens mortalitatem ſuam, circumferens teſtimonium peccati ſui, & tamen te laudare vult homo aliqua portio creaturæ tuæ. 1. *Conf. cap.* 1.

Accipe confeſſiones meas, & gratiarum actiones, *Deus meus*, de rebus innumerabilibus etiam in ſilentio. 9. *Conf.* c. 8.

Gratias tibi ago pro ſacratiſſima effuſione pretioſi Sanguinis quo redempti ſumus; ſimul & pro ſacroſancto, & vivifico myſterio Corporis & Sanguinis, quo quotidie paſcimur & potamur, abluimur & ſanctificamur, & unius ſummæ divinitatis participes efficimur. *Medit.* c. 14.

Et quia exteriora mihi munera deſunt, quæ poſſim offerre, ea quæ in me ſunt vota laudationis ex dono miſericordiæ tuæ ecce libens, atque ovans offero tibi de fide non fictâ, & conſcientiâ purâ. *Med.* c. 12.

ERVIS DE IMMANISSIMO PROFVNDO QVÆRENTEM TE ANIMAM, SITIENTEM DELECTATIONES TVAS. 1. Conf. cap. 18.

TEr decies flavas meſſor ſcindebat ariſtas,
Ter decies triſti Sole rigebat humus:

Quando

Quando pœnè perij primo malè raptus in ævo;
Et maris atra meam ſorbuit ira ratem.
Nec volui (ô! lacrymis ſors deploranda cruentis)
Quæ mihi præſtò fuit quærere ſtultus opem.
Inſanas hyemes inter, pontique furores,
Ignitaſque faces, horribileſque feras;
Dum tumidis latè furerent freta verſa procellis,
Et laceram haurirent morſq; Notuſq; trabem:
Cuncta petijt Genitrix repetitis quæſtibus aſtra;
Nec ſenſit votis aſtra benigna ſuis.
Obſtabat fervens tantis conatibus ævum,
Et mala per longas inveterata moras.
Iamque ruinoſam ſorbebat Cypria puppem;
Iam mihi reſtabat nil niſi triſte mori:
Cùm denſæ ſubitò ceperunt cœdere nubes,
Diraque ſuccenſi frangitur ira maris.
Et placidum duxit tempeſtas propria pontum,
Confuſoq; dies venit amica polo.
Non pelago incubuit Boreas, non aëre flammæ:
Pax fuit alta polo, pax fuit alta mari.
Quærenti cauſſas, ſubitò per inania cœli
Inſolitam viſa eſt pandere ſtella facem.
Quales Tyndaridæ, duo ſplendida ſidera cœlo,
Aſpiciunt quaſſæ naufraga membra ratis:
Talis & illa fuit primæ per tempora vitæ
Pellere viſa animi nubila denſa mei.

O mea Lux, dubijs ô ſidus amabile rebus,
Præſidium poſitis, portus, & aura malis,
Tu mea vera Pharos, mea tu Cynoſura fuiſti,
Tu fratres Helenæ, tu mihi Gnoſſis eras.
Et brevia, & diras vici, te præſide, Syrtes,
Saxaq; non uno quæ metuenda loco.
Te praeunte, petam, ſi mandas, ultimà mundi
Vadam, quò fecit nulla carina viam.
Riphæos ſcandam montes, ſi juſſeris, atque
Ulteriùs nigras Memnonis ibo domos.
Et pugnabo manu Lernæas ſævus in hydras,
Et tibi ab Heſperio poma dracone feram.
Nec fugiam rabido quæ monſtra ſub inguine la-trant,
Nec fugiam Euboicis quæ loca cæca vadis.
Nam ſimul ac tua fax mundo reſplendet ab alto
Tum ſilet ira poli, tum ſilet ira maris.
Et fugiunt toto ſi quæ diſcrimina mundo,
Purus & Orion, purus & Hœdus adeſt.

Tu ſemper aderas miſericorditer ſæviens & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas. 2. *Conf. c.* 2.

Tibi laus, tibi gloria, fons miſericordiarum. Ego fiebam miſerior, & tu propinquior

pinquior. Aderat jam jamque dextera tuaereptura me de cœno, & ablutura, & ignorabam. 6. *Confeſſ. c.* 16.

Ibi mihi iratus eram intus in cubili, ubi compunctus eram, ubi ſacrificaveram mactans vetuſtatem meam, & inchoatam meditationem renovationis meæ. 9. *Conf. c.* 4.

Serò cognovi te, Veritas antiqua, ſerò cognovi te, Veritas æterna. Tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoſcebam te; quia illuminari non poteram ſine te, & non eſt lux extra te. *Sol. c.* 33.

O! charitas, ô! pietas: miſiſti Filium tuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum, ut nos efficeremur juſtitia tua in ipſo. *Med. c.* 15.



Collocas me in loco paſcuæ ſecus riuulos dulcium aquarũ
vbi præparas in conſpectu meo menſam . S. Aug. Man. c. 9.

XIV.

Collocas me in loco paſcuæ ſecus rivulos dulcium aquarum, ubi præparas in conſpectu meo menſam. *Man. c. 9.*

HEi! mihi, quàm miſero damnantur ſidere terræ;
Quàm ſegni ſquallent rura, domuſq; ſitu.
Nec ſylvis decor ullus adeſt, nec montibus umbra,
Vndique ſed macies incubat ægra ſolo.
Et vitis nullo curvat ſua brachia Baccho,
Et dominum ſterili germine fallit ager:
Flammiferi rabies toto furit orbe Leonis,
Et Zephyrus noſtris exſulat uſque locis.
Cynthia nec niveo petit, ut ſolet, æthera cornu:
Aurea nec lætis Sol terit aſtra rotis.
Ambo ſed informi terras ferrugine ſpectant,
Et nigra ferali nox face cuncta tenet.
Dij Superi! quoties iſtis retinebimur oris,
Ducemus lentas, fata per iſta, neces?
O! vacuas animam liceat mihi reddere in auras,
Tam diros uno claudere fine dies.

Dictæi poſtquàm petijſſet Iudicis urnam,
Libera tunc omni mens foret uſque metu.
Nunc longo miſeros duramus funere Soles:
Et ſpes irrident aſtra maligna meas.
Vix hæc cum lacrymis, ac horriſono ululatu,
Ad mare confidens ore locutus eram:
Cùm procul (ô! faciles Superi, nimiumq; benigni)
Aſpicio ferri, per vada ſalſa, ratem.
Et magno properos ad me trahit impete curſus;
Si neſcis, dapibus hæc benè dives erat.
Ac ſimul optatas tetigit trabs hoſpes arenas,
Advenaque in noſtro littore prora ſtetit:
Protinus ætherei puppi exſiluêre miniſtri,
Et mihi, Lux, properos viſa parare gradus.
Tum, bone, quid triſti languent tua corpora morbo?
Sume animos, in opem nam ratis illa tuam eſt.
Dixit, & actutùm Cerealia munera mandat
Largiter aſtantes tum mihi ferre Deos.
Dijque, Deæque omnes, quæ robora ſenſimus illis!
Protinus ut ſenſus convaluêre mei!
Plus equidē jamjam moriens ego ad iſta revixi;
Quàm ſolet infuſo vita redire mero.
At membris poſtquàm redijt vigor, ô bone, dixi,
O Deus, ô aris uno colende meis,

Quas

Quas tibi pro tali reddemus munere grates,
Sat cui nulla dari gratia digna poteſt?
Inferiora tuis præconia ſunt mea donis,
Omnia ſunt meritis ora minora tuis.
Te reſonabo tamen quantum mea plectra valebunt,
Et pennâ, referam nomen, ovante, tuum.
Tu modò, tu mihi pòſt ſenibus celebrabere ſæclis;
Æternùmque memor muneris huius ero.

Aſſumat ſpiritus meus pennas ut aquilæ, volet, & perveniat uſque ad thronum gloriæ tuæ, & ibi ſuper menſam refectionis civium ſupernorum paſcatur de occultis tuis iuxta fluenta pleniſſima. *Man. c. 3.*

O dives omnium bonarum dapum, ſupernæ ſatietatis opulentiſſime largitor, *Deus*, da laſſo cibum. Tu enim es panis vitæ, tu omnia, ex quibus vivunt recti qui diligunt te. *Man. c. 4.*

Quocumque iero, tu me, *Domine*, non deſeris, niſi prior ego te deſeram. Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es, ut quocumque iero, inveniam

te,

te, per quem poſſim eſſe, ne peream ſine te, cùm ſine te eſſe non poſſim. *Sol. c.* 14.

NON SVNT IN TE TENEBRÆ, AVT NOX, AVT QVÆLIBET DIVERSITAS TEMPORVM. Med. c. 25.

Hortule, cui blandi dedit indulgentia cœli,
Plus quàm Chloris habet, plus & Hymettus opes;
Hortule, perpetuò Soles viſure ſerenos;
Quem dio lactat Nais amica ſinu;
Hortule, delicium mundi, vota ultima rerum,
Et Charitum ſedes, & Venerum hoſpitium:
Quis te, quis geniumq́ tuum lymphaſq́ pudicas,
Quis iuſto tantas carmine adæquet opes?
Si dulces violas, & olentia gramina quæro,
Nil niſi cum violis meſſis odôra tibi eſt.
Hîc & Apollineæ laurus, & plurima myrtus,
Hîc flos Iunonis, grataque bellis adeſt;
Vitales Zephyri quibus annuit halitus auras,
Algida nec rigido flamine lædit hyems.
Mille roſæ tibi, mille alij ſine nomine flores,
Quos nec Parca avidâ, nec legit Hora manu
Aſpice, quàm ſacro diſtinguitur ordine lucus;
Quantas poſſideat qualibet arbor opes!

Aſpice

Aſpice, quàm vivi fontes, quæ gloria rivis,
Quàm variæ umbroſâ fronde teguntur aves!
Hîc ſpecus, hîc gelidus pumex, hîc florida Tempe,
Cantatis Vatum qualia nulla locis.
Nec gramen pratis, nec flos hiat ullus in hortis,
Quod non in gremio rideat uſque tuo.
Hîc plenis pendens ſemper rubet uva racemis,
Et curvata omnis fœtibus arbor ineſt.
Hortule, cui blandi dedit indulgentia cœli,
Plus quā Chloris habet, plus & Hymettus opes;
Hortule, perpetuò Soles viſure ſerenos,
Quem dio lactat Naïs amica ſinu,
Vive precor, nec te gula deteſtanda luporum,
Nec trucis invertant ſpumea roſtra ſuis,
Tum ſi quis timidam quærat leo non probus eſcā,
Ne fremitus, ne te terreat illa fames.
Vos potiùs ſagæ roſtroq;, aliſq; volucres,
Innocuos illic perpetuate lares.
Vos ibi, vos blandæ luſus durate columbæ,
Et ſine felle toros, non ſine melle iocos.
Quàm benè divino gentilia crimina cantu
Concinit hîc, & atrox flet Philomela nefas!
Quā benè cū virides moriens nox tēdit ad undas,
Innumeras audis, hortule dulcis, aves!
Et liquidis purus reſonat concentibus æther,
Turba renaſcentem cùm videt ipſa diem.

Nec Boreas unquam, nec te ferit improbus ardo
Néve tuum pellit nox inimica diem.
Hortule, delicium cœli; vive, hortule, ſemper,
Hortule liliolis, & benè plene roſis.

Muri tui ex lapidibus pretioſis ; port tuæ ex margaritis optimis, plateæ tuæ e auro puriſſimo, in quibus iucundum *Allelui* ſine intermiſſione concinitur : manſiones tu multæ ſapphyris conſtructæ, latercul coöpertæ aureis ; in quas nullus ingreditu niſi mundus, nullus habitat inquinatus. *Med. c.* 25.

Sol tuus, & claritas tua, & omne bonu tuum, tui pulcherrimi Regis contemplatio *Ibid.*

O anima mea, ſuſpira ardenter, deſider vehementer, ut poſſis pervenire in illa ſupernam civitatem, de qua tam glorio dicta ſunt ; in qua ſicut lætantium omniu habitatio eſt. *Man. c.* 24.

O vita beata, vita ſancta, vita ignar mortis, neſcia triſtitiæ, vita totius ele gantiæ, dignitatis pleniſſima ; ubi null peccati illecebra, ubi dies æternus, & unus omnium ſpiritus, ubi *Deus* facie a facie

faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur. *Med. c. 22.*

BONE JESU, *TV MIHI MELLE DVLCIOR ES, TV NECTARE SVAVIOR, CVNCTISQVE TERRARVM DIVITIIS, ET HONORIBVS* CHARIOR. Med. c. 35.

Mellilegæ volucres, paſſim quæ dulcis Hymetti.
Purpureas legitis, per nemus omne, roſas;
Quæ per agros, viridi per ſtagna virentia muſco,
Quæritis uſq; thymum, quæritis uſque crocon.
Linquite nunc violas, & mollia labra roſarum;
Linquite melliflui regna beata meri:
Et properè ad Jesum, *gens aurea, tendite; namq;*
Veſtras ille omnes poſſidet unus opes.
Vnus opes opulenter habet, quas mille per hortos,
Mille per & ſylvas, cura, laborque parit.
Si mihi parva fides, ſuperas, gens, ſcandite ſedes,
Et dabitur dictis plura videre meis.
An non mellitos ſtillant labra pinguia rores?
Mellitum ſtillant colla, manuſque merum?
An non ſive oculos, ſive ora, genaſque petatis,
Vndique divini pabula mellis eunt?

Nil

Nil opus eſt igitur per nubila carpere poſthac
Ad violã, & ſalices, & thyma blanda viam
Narciſſo, cythiſoq́ꝫ, roſâq́ꝫ, & rore marino,
Heu! nimis exiles uſque gravare pedes.
Theſauros puri cunctos dabit ille liquoris,
Dulcius & dulcis quàm tulit Hybla merum:
O IESU, *mel ſuave, meo mel nobile cordi,*
O mulſum! ô animi pabula ſola mei!
Funde vel exiguũ tam ſancti nectaris hauſtum,
Et liquido exhilara, plus mea corda, mero.
Illa quidem data mella diu, data vina bibend
Ebria delicijs ſæpè fuêre tuis:
Aſt ubi pauxillum ceſſas, tunc omnia languent
Et nigras propero mortis aduſque fores.
Non ita præcipiti petit infans ubera ſaltu,
Quæ niveo mater flumine plena tegit;
Non ita cerva, fugâ, gelidos petit alite fontes,
Quàm premit à tergo plurima turba canum
Ad tua quam currunt ſpumantia nectere labr
Qui quondam vinis incaluêre tuis:
Quàm plenos flagro cœleſti rore canales,
Sive dies umbram, ſeu fuget umbra diem
At vos, gens author divini Dædala mellis,
Purpureos Floræ quæ populatis agros;
Si fors hoc mereor, cellis deferte ſupernis
Plura, & plura ori mulſa beata meo.

S

Sic vos, ſic regem veſtrum, parvoſq́; Quirites
Servet, & immenſa mactet Olympus ope.
Sic latè cellas ſemper diſtendite, vobis
Ne ſoles noceant, ne noceantq́; nives.

Malè mihi eſt præter te, *Domine*, non ſolùm extra me, ſed in me ipſo. Omnis enim copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas mihi eſt. *Med.c.* 18.

Quâ dilectione, quo ſtudio, quo fervore, anima, quam deſponſaſti tibi fide, & miſerationibus, debet, diligere te, verum *Deum*, & pulcherrimum ſponſum, qui nos ſic amaſti, & ſalvaſti, qui pro nobis tot, tanta, & talia feciſti? *Medit. cap.* 35.

Tuam dulcedinem ut guſtavit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamavit quaſi ebrius, *Domine*, bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus hîc tria tabernacula, hîc moremur, & te contemplemur. Unam ſtillam dulcedinis ille guſtavit, & omnem aliam faſtidivit. *Sol. c.* 22.

XV. In-



Inebriâ cor meum ſobriâ ebrietate amoris tui. S. Aug. Medit. c. 37.

XV.

Inebria cor meum ſobriâ ebrietate amoris tui. *Med. c. 37.*

VIna quæ Cypriis fluunt papillis,
Quæ Puer Deus affatim propinat,
Quæ Siren levis, & maligna Circe
Cunctis gemmifero exhibent in auro,
Non ſunt talia vina, ſed venena,
Sed triſti fel amarius cicutâ,
Et ſi quid magis aſperum veneno,
Et ſi quid magis horridum cicutâ,
Illis Penelope impudica fiet.
Fiet Hyppolitus ſalax Priapus,
Et fiet Cato mollior Cinœdo.
Hoc qui non ſobrius madet merâco;
Olet dentibus, & ſalivâ, & ore,
Hirſutis redolet quod hircus alis,
Profundæ quod anhelitus carinæ.
Quod ſerpens fera, quod recens olêtum.
Has peſtes ego deperire poſſem,
Meis ſugere virus hoc labellis?
Ah! ſortis piget, & pudet prioris,
Cùm turpi ſcelerum ſedens tabernâ.

Et mei immemor, & meæ ſalutis.
Tales hēlluo viperas vorabam,
Tali me poteram replere vino.
Nunc, ô Magne Deus, *pluente gutto,*
Cor locum ſcelerum riga meorum,
Cor ſedem ſcelerum lava meorum :
Et quò fel magis appetivit iſtud,
Hoc cœli magis hauriat liquôres,
Hoc tuis magis eluatur undis.
Nòn ſic laſſa canum ſequente turbâ,
Fontis cerva ſacros anhelat amnes,
Ut te noctu animus, diuq́ue quærit,
Suſpirat, rogat ; & meri beati
Optat delicias perenniores,
Optat plenus onyx micante gemmâ
Quas deorſum pluit, eliquatq́ue guttas,
Stacten, & caſiam, crocum, atque nardum.

Deus, lumen cordium te videntium, veni, rogo, in cor meum, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviſcar iſt temporalia. *Man. c.5,*

O! Dulcedo amoris, & amor dulcedinis! comedat te venter meus, & nectar tui amoris repleantur viſcera mea, & eructe mens mea verbum bonum. *Man. c. 12.*

I

In quo amor Dei eſt , frequenter Deum ſuum contemplatur , & in ejus contemplationem ſuaviter reficitur , tantò feliciùs, quantò frequentiùs. *Man. c.28.*

Quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris , & quia vir pollutus labijs ego ſum, munda obſecro cor meum ab omni inquinamento , & fac me dignum tuis laudibus. *Ibid. c.* 33.

Serviam tibi , & colam te , ut de te mihi benè ſit , à quo mihi eſt , ut ſim , cui benè ſit. 13. *Conf. c.* 1.

QVID TIBI SVM IPSE, VT AMARI TE IVBEAS A ME, ET NISI FACIAM IRASCARIS MIHI? Lib. 1. Conf. c. 5.

S*Vaviolo*, *ter* Magne Deus, *mihi ſuavior omni,*
Mellee mi, dulci dulcior ambroſiâ,
Quod te (pace tuâ) deludit amabile crimen,
An cadit in magnum crimen, amorq; Deum?
Tu miſerum flammis quia me vehementibus ardes,
Vis animus ſimili flagret amore meus.

Nec modò vis, grandes etiam minitare procellas;
Et ſpondes iræ fulmina certa tuæ.
O! animi ſaties, ô! gaudia cordis, ô! aſtrum,
O! ori, Iesu, *melque, merumque meo;*
Vnde tuam turbo ſic vilis homuncio mentem,
Vt ſine me vix te vivere poſſe putes?
Virginis eximiæ ſpeciem, moreſque pudicos,
Inſolitis Iacob ſcimus amaſſe modis.
Sive gregem tenui per montes paſceret herbâ,
Seu procul occultas quæreret amnis aquas.
Ante oculos omni ſtabat radiantior aſtro
Et decor, & dominæ gratia mira ſuæ.
Nunc labra plena roſis, nivei nunc lilia vultus:
Nunc Charitum quales ſingimus eſſe pedes,
Nunc nullâ poſitos ſpectabat lege capillos,
Nunc oculorum acres, ſed ſine felle, ſinus.
O! quoties patrui reputans perjuria, dixit;
Conſta, jam pretium grande laboris erit.
Iam voto potiêre tuo, jam lactea ſtringes
Colla, premes roſeis jam tua labra labris.
Digna puella tuis eſt illa laboribus, & ſi
Plura queas, digna eſt & graviora pati.
Dura per arma alij placitas rapuêre puellas,
Nullius illa tibi cauſſa doloris erit?
Tales ille ſuo promebat pectore voces,
Dilati ſolans tædia longa tori.

Et meritò; quid enim Rachele venuſtius unquam
Ambobus vidit ſubdita terra polis?
Me tamen & flagras magis, & magis ignibus iſtis,
Cùm pice ſim nigrâ nigrior, uſque petis.
Ah! vide quid facias, flammâ nimis impare ferves:
Tam malè conformes nos ſociaret Amor?
Cùm ſubit æterni majeſtas Numinis, & me
Deſpicio, horribili frigore membra tremunt.
Tu ſtellata poli laquearia fulgere mandas;
Et magnas Solem deproperâre vias.
Turba beata tuis plus undique vultibus ardet,
Quàm Pæſtano ullus floſculus ardet agro.
Paſcua graminibus veſtis, & floribus hortos
Læta Ceres ſqualet te ſine, lætus ager.
Me tamen Aiacem veluti amplectare furentem,
Amplecti totis viribus uſque petis.
Theſea Pirithous non ſic expertus amicum;
Non ſic Phocæum, triſtis Oreſte, Ducem,
Et quas priſca fides, & amor ſuper æthera tollit,
Vt tu ſollicitus noſceris eſſe mei.
Quis credat? niſi quod tuus eſt quaſi perditus œſtro,
Et ratione carens, qui nimis exſtat, amor.

Si fugiam, commota manus mihi præparat ignes:
Si faciam, præſtò gaudia mille paras.
Diſpeream, niſi te penitis deamavero fibris,
O IESU, *ô! animi melque, merumque mei.*

Non dubiâ, ſed certâ conſcientiâ, *Domine*, amo te. Percuſſiſti cor meum verbo tuo, & amavi te. Sed & cœlum, & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut inexcuſabiles ſint. 10. *Conf. c.6.*

Scio, *Domine*, ſcio, & fateor, quòd non ſum dignus, quem tu diligas, ſed certè tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem ſum tibi ſervire, ſed tu non es indignus ſervitio creaturæ tuæ. Da ergo, *Domine*, unde tu es dignus, & ego ero dignus, unde ſum indignus. *Med.c.*10.

Non tantùm te diligo; *Domine*, quantùm debeo, quia non planè cognoſco te; & quia parùm cognoſco, parùm diligo; & quia parùm diligo, parùm in te gaudeo. *Sol.c.*1.

ANIMA

ANIMA QVÆ AMAT DEVM, NIHIL ALIVD POTEST COGITARE, NIHIL LOQVI; CETERA CONTEMNIT, OMNIA FASTIDIT. Man. c. 20.

QVi te cumq; colit, rerum pulcherrime, qui te
Virgineo ſtringit nocte, dieq; ſinu:
Quas ibi delicias, quos ebrius haurit amores;
O! Quanti tecum flumina mellis eunt.
Vvida mens nec ſe, nec tam bona gaudia novit,
Infans nec ſcit opes enumerare ſuas.
Nam quò plura tuo libantur gaudia vultu;
Carpere vultu ardent gaudia plura tuo.
Nec caſtis ſaties, nec finis amoribus ulla eſt;
Plus qui te deamat, ſemper amare petit.
Ille ſit & felix per me, diveſque furentis
Qui valet impavidus ferre pericla maris.
Qui triſtes Hyadas, decertanteſque procellas,
Qui potè tot ſiccis monſtra videre genis.
Nil moror, in noſtris habites modò, lux mea, fibris,
Inque vicem tua me, te mea flamma trahat,
Quò tua, quò mea mens ſortem conflentur in unã
Vnaque vita duos iungat, & unus amor;

Tum vivam Craſſo, Lydoque beatior ipſo,
Et votis fient cuncta priora meis.
O! Lux, ô! cunctis victuri ætatibus ignes,
O! animi, Jesu, *delicium omne mei.*
Quantum ah! lætitiæ eſt, quantum dulcedinis uſque
Ori hærere tuo, igne flagrare tuo:
Alterum in alterius vitam transfundere vultum,
Dulcibus atque animas reddere poſſe labris.
Huic Cöæ veſtes placeant, gerat ille ſuperbus
Serica, quæ Tyrio murice tincta rubent.
Alter agat longos, belli monumenta, triumphos,
Atque trahat vinctos, corpora clara, Duces;
Totus & argento reſperſus, totus & auro,
Quattuor in niveis fulgeat altus equis:
Dummodò te, mea Lux, teneam, dum cœlicus ignis,
Nulla queat quondam quem minuiſſe dies,
Æternùm mea corda animet, nihil iſta trophæa.
Has nihili lauros, nil decus hoc faciam.
Tu Cöa nam veſte mihi, potiorque triumphis;
Tu Graiûm maior, Romulidumque throno.
Præ te nil præſtans, nil cerno nobile, ſive
Quod tellus, videam, ſive quod aſtra tenent.

Quo-

Quomodò nos amaſti, *Pater ſancte*, qui Filio tuo unico non pepercisti, ſed pro nobis impijs tradidiſti eum? Quomodò nos amaſti? 10. *Conf. c.* 43.

Anima quæ *Deum* amat, quidquid meditatur, quidquid loquitur, amorem ſapit, amorem redolet, ita amor Dei eam ſibi vindicat. *Man. c.* 20.

Sicut nullum momentum eſt, quo homo non fruatur vel utatur pietate divinâ; ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoriâ. *Man. c.* 29.

Fac me; dulcis *Chriſte*; bone Jesu, fac me, rogo, amore & deſiderio tui deponere onus carnalium deſideriorum, ut relinquens omnia iſta tibi ſerviam, tibi ſoli inhæream, tibi ſoli intendam. *Man. c.* 5.

Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. *Sol. cap.* 19.

Te nemo amittit, niſi qui dimittit. Et qui dimittit, quò it, aut quò fugit, niſi à te placido, ad te iratum? 4. *Conf. c.* 9.



Percute Domine hanc mentem pia cuspide dilectionis tuæ. S. Aug. Medit. c. 37.

XVI.

Percute, Domine, hanc mentem piâ cuſpide dilectionis tuæ. *Med.* 37.

IEſule, *fax animæ, mi mellee* Ieſule, *cordis*
O! & delicium ſuave, decuſque mei,
Ignivomis quamdiu liqueſient viſcera telis;
Incendet noſtrum dulcis arundo iecur?
Si tibi ſum carus vel da, mi mellee, fontem,
Vel mea diſcedat, qui cremat oſſa, calor.
Tolle manum, faculaſq́ tuas; moriemur amantes;
Et Libitina mei fœnus amoris erit?
Extinguar, quia te noctes ſuſpiro, dieſque,
Vt gemit abſentem caſta columba torum.
O! amor, ô! JESU, *mea ſpes, & pectoris ardor,*
O! fax, ô! animi blande tyranne mei,
Vel tua tela move, vel me moderantiùs urat,
Quæ nimis in noſtro pectore flamma viget.
Parce, precor, ne te ſubſannent carmine Vates;
Nec me materiem luſibus eſſe velis.
Namque ubi me denſâ nox lugubris opprimet umbrâ;
Et mors marmoreo claudet avara ſpecu;

Hæc odioſa meo ſcribent elementa ſepulchro,
Qui iacet hîc, nimio toſtus amore perijt.
Hoc puerique ſeneſque legent : hoc poſthuma noſcent
Tempora, ni facias, heu! tibi crimen ero.
Sed quid ago? quò me miſerum vis egit amantem
Res eſt, ut video, plena furoris Amor.
Ah! melius; torre, mi flammee Jeſule, *noſtri*
Delicium cordis, deliciumque animi.
Vre, patent mea corda, patent mea viſcera, telis
Mens, animuſque patet, corque, iecurque tuis.
O! bone, flammanti fode fortiter ilia ferro;
Ilia vulneribus non ſatianda tuis.
Tam dulces nunquid miſeri ſpernemus amores?
Tam dulcem, cœlo divite, luxuriem?
Pervia blanditijs fugiemus gaudia tantis?
Ah! mea Lux, geminis carior uſque oculis;
Quo ſine nil eſt dulce, meis nil ſuave medullis;
Qui mihi deliciæ, qui mihi ſolus amor,
Alme Deus, Deus *alme, ſimillima Patris imago,*
O! cor, ô! & vitæ vita, animuſque meæ.
Semper membra tuo flagrent fac ab igne, ne unquam
Flamma rogi flammas finiat ulla meas.

Vre

Vre, patent mea corda, patent mea viſcera, telis
Mens, animuſque patet, corq; iecurq; tuis.

Vulnera hanc animam meam peccatricem, vulnera eam igneo, & potentiſſimo telo tuæ nimiæ charitatis. *Med. c.* 37.

Confige, *Domine*, cor meum iaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea; Charitate tuâ vulnerata ſum: ita ut ex ipſo vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte. *Ibid.*

Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo; & torpentis medullas iecoris flammis ſalutaribus penetrando ſuccende; ſanctique fervoris igne illuſtrando intimæ mentis, & corporis univerſa ſuccende. *Med. c.* 9.

Rex meus, extingue in me deſideria carnis, & accende ignem tui amoris. *Med. c.* 1.

BONE IESV, FAC VT SICVT FLAMMA VRENS TOTVS ARDEAM IN TVI AMORIS DVLCEDINE. Med. c. 35.

AH! mea Lux, mea Vita, tuis ita amoribus angi?
Et credam faciles eſſe in amore Deos ?
Et credam ambroſium depaſci nectar amantes ?
Mel credam Superos eſſe , merumq́; merum ?
Falleris, æthereo qui potus ab ubere, mannæ
Neſcio quod iactas, rorifluumq́; penu.
Qui rutilis clamas aulæa micantia gemmis;
Vt polus Hyblæis innatet omnis aquis.
Quòd foliata fluant, quòd ſudent balſama ligno;
Quòd ſalit hinc lactis, nectaris indè liquor :
Et ferrugineâ in violâ, molliq; amarantho
Exſultim ſaturos ludere mille Deos :
Noſq; favo veſci liquido, nos ſemper amantes
Diſtendi ambroſiâ, nectareôque mero.
Illecebræ ſunt hæc, & cruſtula danda puellis;
Simplicitas trahitur talibus illa modis.
Felle ſuos ſatiat, & amaris, credite, ſuccis
Dius Amor, nato par, Cypri fœda, tuo.

Paſcitur & luctu, & lacrymis, gemitúque querelíſque,
Et ſurdâ noſtras ebibit aure preces.
Mordaci quoties abſinthia trivit aceto;
Et vivâ incendit corpora noſtra face.
Pennatâ quoties violavit arundine pectus;
Et multus, foſſo pectore, ſanguis ijt.
Me miſerum, quæ ſacrilego profudimus ore!
Sic agitas dominos, impia lingua, Deos?
Lurida ſic atro deſpumas corde venena?
Ah! nequàm, ah! Stygias digna ſubire domos.
O amor, ô JESU, *mea ſpes, ignoſce, furentis*
Impetus ille fuit, pectoris ille calor;
Ignoſcas, mea Lux, ſi qua fanatica dixi,
Et culpa, & nimij crimen amoris erat.
Mens mea ſi cecidit, cecidit quia perdita flãmis,
Et propiore tuo Numine victa fuit.
Erravit, fateor; ſed quæ malè provida dixit,
Et dolet, & culpæ pœnitet uſque ſuæ.
Et dicit quòd Amore tuo nil dulcius, illi
Vſque columbatim baſia caſta litans.
Fallor, an ergo tuis fruor, ô mea Vita, labellis?
Fallor, an æthereum mens bibit ipſa Deum?
Ah! quæ flamma meas lambitq́; voratq́; medul-las;
Quis me paſcit Amor, qui mihi repit odor?

Aſtringam

Aſtringam plus, pluſq́; tuas mea Vita, corollas;
Implicitemq́; pedes, implicitemq́; manus:
Plurima gemmifluo defigens ſuavia cordi;
Plurima mox plantis, plurima moxq́; genis.
His ſemper fruar, his flagrem ſine fine favillis;
Flagrat in immenſis, ut Salamandra, rogis.

Ignis ſancte, quàm dulciter ardes, quàm ſecretè luces, quàm deſideranter aduris! Væ ijs, qui non ardent ex te! *Sol. c.* 34.

Dulcis *Chriſte*, bone Jesu, reple ſemper cor meum in extinguibili dilectione tui, adeò ut ſicut flamma urens, totus ardeam in tui amoris dulcedine, quem & aquæ multæ in me nunquam poſſint extinguere. *Med. c.* 35.

Non eſt volentis, neque currentis, ſed tui miſerentis, ut diligamus te. Tuum eſt, *Domine*, hoc donum, cuius eſt omne bonum. Iubes te diligi; da quod iubes, & iube quod vis. *Sol. c.* 19.

QVIS

QVIS EGO SVM, VT LAVDEM TE DOMINE, DEVS FORTISSIME, SPIRITVS VNIVERSÆ CARNIS, QVI INHABITAS ÆTERNITATEM. Sol. c. 10.

O JESU, *ſpes una meis certiſſima rebus,*
Baſiolum cordis, deliciumque mei.
Quid potius fiet ſtadio plorabilis ævi,
Quàm pleno laudes ore ſonare tuas?
Mæonij flueret ſi carminis alite verſus,
Et Geticæ æquarem fila ſuperba lyræ:
Indefeſſa chelys Phœbi naſcentis ab ortu,
Non niſi te merito ferret in aſtra ſono.
Si limo ſplendente meas propè curreret ædes,
Auriferis Ganges clarus, & Hermus aquis:
Donarem rutilas illius, & huius arenas,
Nil parcente manu, nil retinnente ſinu.
Major Alexandro, Crœſoque potentior, orbi
Si vaſto leges, iura, modumque darem;
Et faſces, & ebur, magnique inſignia regni
Adferrem manibus cuncta tenenda tuis.
Inſuper imperium (fieri quod poſſe negamus)
Me penes in dominos ſi foret omne Deos:
Ipſe tibi deitatis ebur, faſceſque curules,
Ipſe darem regni ſceptra, locumque mei.

Te ſiquidem, mea Lux, tanto complector amore
Vt res ſis ſupra carior uſque meas.
Ah! ubi te totum medijs amplector in ulnis,
Blandiloquo tecum dum licet ore frui;
Quem, dico, magni ſpectaſti luminis author,
Cui radio luxit candidiore dies?
Quē mare, quem navis vento magè ferret amico
Cui plures æther fuderit almus, opes?
Quidquid enim rubro dives parit India ponto,
Quod Tagus auratis condit, & Hermus aquis
Quod folijs Arabes clari, quod vellere Seres,
Area quod Nili, terra quod Afra tenet,
Ilicet exundant pleno quaſi gurgite, cùm te
Vlnis ridentem fas retinere meis.
Divitias, Venereſque tenet (nil certius) omnes
JESUM *qui gemino fertque, refertque ſinu.*
Teſtis, Pellæi, Catharis, laus maxima muri,
Illa decus ſacri, floſque, iubârque chori.
Tu quoque, tu Siculæ lux aurea Lucia terræ,
Quo tua ſcis fuerint ebria corda mero:
Plena polo, vaſtam, ſexuque, & corpore maior
Cùm peteres, nullo te ſubigente, pyram.
Scilicet in medijs quid erat recreabile flammis;
Et dulci potior viſa favilla toro.
O mea lux, ô Cælicolûm una, & ſola voluptas,
O ſpes terrigenûm grandis, & unus amor.

Vive,

Vive, ô mi dulcis Jesu, *tibi & opes, tibi & annos,*
Cuncta tibi vellem contribuiſſe mea.
Te ſemper, flammaſq; tuas, mea gaudia amabo;
Ardor tu vitæ primus, & imus eris.
Verè ſolus opes habet, & regna omnia ſolus,
Cui fas eſt flammis incaluiſſe tuis.

Unde hôc mihi, *Domine*, unde mihi lau-
es ad laudandum te? Sicut enim feciſti me
ne me; ita laus tibi eſt ſine me. Ante te,
omine, laus tua tu ipſe es. *Sol. c.* 10.

Quas laudes, quáſve gratiarum actiones
bi referre valeamus, *Deus* noſter, qui nos
ter has mortalitatis noſtræ ærumnas non
efinis conſolari mirâ viſitatione gratiæ tuæ.
an. c. 9.

Jesu, noſtra redemptio, intra in animam
eam, côapta eam tibi, ut poſſideas eam ſine
gâ, & ſine maculâ. Mundiſſimo namque
omino mundiſſima debetur habitatio.
ed. c. 35.

Laudet te anima mea, ut amet te, & con-
eatur tibi miſerationes tuas, ut laudet te.
Conf. c. 1.

XVII.



Amor vbi venerit ceteros in ſe omnes traducit, et captiuat affectus. S. Aug. Man. c. 18.

XVII.

Amor ubi venerit, ceteros in ſe omnes traducit, & captivat affectus. *Men. c.* 18.

Q Vanam barbara diritas, Amantis
Vultum nubere, corculumque caſtis.
Non vulgariter æſtuans favillis,
Imo vellere pectoris receſſu,
Vt triſti caveæ gemat latebrâ?
Per Deum Fidium efferus tyrannus
Omni durior es Nerone, & illo
Falſum torruit igne qui iuvencum;
Et illo ſatiare qui caballos
Humanâ ſolitus ſuos ſaginâ.
Quin ſi ſtat miſeram, per omne vitæ
Tempus perdere, clade tam moleſtâ,
Vno protinus expedita letho
Ad plures eat: optimum, & ſuave eſt
Metam tangere funerum ſuorum,
Metam cernere cladium ſuarum.
Quid me ſic facie ferociente,
Et ſupercilio minante luſtras?
Vmbra ſi tibi comitatis ulla eſt,

Nec

Nec de tigride natus es Sicanâ,
Clathris exime corculum, diemq́ue,
Hanc quæ turture purior pudicâ,
Et caſtâ magè continens columbâ
Amotis nebulis ſine intueri.
Vel da quid modò moliare rerum?
Tum pulchro Puer hæc profatus ore:
Neſcis quid ſit Amor, ſuave numquàm
Guſtaſti Domine *iugum, nec iſtam*
Quam tu ſic peragis ream catenam.
Si ſit barbaries, ſuavis illa eſt,
Quæ firmo ſimiles catenat ære,
Et vultu, & ſtudio, & calore mentes:
Quæ lenocinijs, facetijſq́;,
Luſu, blanditijs, amoribuſq́;,
(Dum primâ nive puriora cuncta;
Et caſtis magè caſta ſint liguſtris)
Conformes animos, pares Amantes
Gratâ compede, vinculiſq́; vincit.
Quare ponè modum tuis querelis,
Qui tantum Cypriæ Alitem Diones
Laudas, & canis, & deoſcularis;
Nec vim dente nigro laceſſe noſtram,
Quâ nîl liberius, beatiuſque,
Nil optabilius, ſuaviuſque.

Te

Totus eram in morte, totum me reſuſci-
ſti: tuum igitur ſit totum id quod vivo.
otus ſpiritus, totum cor, totum corpus,
ta vita mea vivat tibi, vita mea dulcis,
uia totum me liberaſti, ut totum me poſſi-
eres. *Sol.c.*18.

Amor facit unum ſpiritum de duobus. A-
ior facit idem velle, & idem nolle. *Man.*
p. 18.

Quiſquis cognoſcit te, ſe oblivilcitur: a-
at te pluſquàm ſe, relinquit ſe, & venit ad
, ut gaudeat de te. *Sol.c.* 1.

Gratias tibi, lux mea, quoniam illumina-
i me, & inveni te, & me. Ubi inveni me,
i cognovi me: ubi inveni te, ibi cognovi
; ubi autem cognovi te, ibi illuminaſti me.
ol. c. 31.

VÆ CANTICA! QVÆ ORGANA! QVÆ MELODIÆ IBI SINE FINE DECANTANTVR. Man.c.6.

Q Vo Superi thyrſo, melicâ quâ voce beantur,
Quos chelys attenuat non ſatianda modos,
O Amor

O Amor, ô! inter niveos, pars magna, Quirite:
Tam miti frenas qui mea colla jugo.
Da, precor (hic paries turbâ nos jungit ab omn
In ſimili quoties adfuit æde Deus?)
Quænam Cælituum torrent ita gaudia mentes
Quæ tot vena ſales, tot parit aula jocos?
Hoc noſtras toties, totieſq; iteratur ad aures,
Nil veſtris uſquam pulchrius eſſe locis,
Æternam clamant illic florere Iuventam,
Æternis plateas luxuriare roſis.
Et plura his, & plura canunt; ô! amatio cordis,
Dic iſto quæ ſint orgia feſta loco?
Ille caput palpo (limis ridebat ocellis)
Percutiens, tales edidit ore ſonos;
Digne Puer, centum radies licet Argus ocellis,
Tot tibi ſint aures, quot rubet Hybla roſis;
Haud tamen his noſces oculis, his auribus unqu
Quod ſonat Elyſio ſemper in orbe melos.
Mente putas, animoque (nihil tamen acrius illi
Mellifluas Divûm prendere poſſe dapes!
Chlorida cinnameas halantem gutture nubes,
Et venâ ſaliens perpete dulce merum?
Heſperiæ pretium vix enarrabile ſylvæ,
Et Crœſi, & magni Laömedontis opes,
Et quæ magnus Iber aurato advectat Eöo,
Non ſunt ad noſtros futilis umbra lares.

H

Hîc vivis ardet laquear, parieſq; ſmaragdis:
Hîc mirum ſpargunt gemmea ſtrata jubar.
Nil niſi nectareus pluit altis nubibus imber;
Nil niſi myrrhatum ventilat aura crocon.
Arida canicies noſtris procul exul ab oris,
Et capularis hyems, & glacialis anus.
Sed molles animas ibi ver exhalat, & æther,
Perpetuiſque viret dia Iuventa genis.
Eloquar ut Genius pulchro magè ſplendicet aſtro;
Pegaſea ut liquidas tranſvolet arte vias?
Non chalybem, non ardentẽ timet igne ſagittam:
O! quàm felici tempora ſorte trahit,
Nunc propter ſtreperis ſalientem rupibus undam,
Atthidis arrectâ percipit aure melos.
Nunc agiles plaudit choreas, nunc carmina dicit,
Carmina non ullis devolüenda modis.
Aſpicies alios genialia nablia junctim
Percutere, hos habili tinnula ſiſtra manu.
His tremulas aptat viridi ſub pegmate chordas;
Hic reſonum facili pollice radit ebur.
Quot ſunt deliciæ, quot ſunt his gaudia regnis,
Si vis ingenio prendere, diſce prius,
Quot producat Hymettus apes, quot paſcua flores;
Quot parit Hybla roſas, terra Ciliſſa crocos:
Enumera claro radient quot ſydera cœlo,
Quot frondes habeat ſylva, quot uva comas,
Tum

Tum poteris ſuperæ comprendere gaudia ſedis;
Et quæ ſint noſtris orgia læta locis.

Felix ego, & verè in perpetuum felix, ſi poſt reſolutionem hujus corpuſculi audire meruero illa cantica cæleſtis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis ſupernæ patriæ civibus, beatorumque ſpirituum agminibus. *Med.c.25.*

Ibi eſt ſempiterna vita, ſempiternè beata. Ibi eſt dies æternus, & unus omnium ſpiritus; ibi ſumma, & certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, & jucunda felicitas, & felix æternitas, & æterna beatitudo, & beata ſine fine viſio, & laudatio. *Med.c.17.*

Opus eorum laus Dei ſine fine, ſine defectione, ſine labore. *Med.c.25.*

EXPVLSVS A PARADISI GAVDIIS DEPLORO QVOTIDIE MISERIAS CAPTIVITATIS MEÆ, CVM RECORDOR TVI IERVSALEM. Med.c.20.

Æternæ

Æternæ ſedes, mentiſque ſacraria magnæ,
Hos facili planctus, accipite aure, meos.
Ah! nunquā dabitur veſtros mihi ſcandere colles,
Tam ſanctos nunquam viſere poſſe lares?
Nulla dabunt tali me ſidera degere ſaltu,
Deliciiſque tuis, Vita beata, frui?
Seu nitidum Phœbus primis caput efferat undis;
Occiduum feſſo ſeu petat axe fretum:
Vrbanas inter ſeu triſtis vixero turbas,
Aut in agris, cœlo liberiore fruar;
Continuis ego vos mœrens efflagito votis;
Vos eſtis curis meta, ſcopuſque meis.
Heu! quoties gemitus, quoties ſuſpiria fundo,
Et nivis in lacrymas more tepentis eo.
Cùm ſubit illius decreti triſtis imago,
Quò patrio extorris cogor abeſſe polo.
Cùm repeto noctē, quâ tot mihi gaudia rapta,
Tot bona, tot luſus, tot ſine fine chori.
Dicite, vos, tacitè quæ cernitis omnia flammæ,
Nox quoties totam nubila condit humum:
An mea vel modico claudantur lumina ſomno,
Aut ægros ſenſus mulceat ulla quies?
An non ſemper humi fixus, quò corpore dura
Fata negant, non huc mente, animoq́ue ferar?
Hibernæ nùm me revocarunt frigora nocti?
An ſitis, an rabidi tempora ſicca Canis!

Dic tu præcipuè, noſtri ſax unica cordis,
Quo ſine nulla mihi gaudia, nullus amor,
An non ſic multos duravi ſub Iove ſoles,
Et Boreæ patiens, & pluvialis aquæ?
An non continuò, dic, ſlagrent igne medullæ,
Et te amplectendi maximus ardor ineſt?
Vlmus amat vites, amat altos vinea colles,
Robora amant ederæ, littora myrtus amat:
Plus tamen his ego te deamo, plus omnibus illis
Te cupio amplecti, ſtringere teque ſinu.
Quid mirum? Vitæ nam tu fax unica, tu fons,
Et decus, & ſuperi gloria ſumma chori.
Tu Babylonis opes, tu Lydæ pondera gazæ
Vincis, & auriferi quod tegit unda Tagi.
Denique quidquid habet moles hæc vaſta, quod auro,
Aut ebore, aut gemmis, luce, vel arte nitet;
Cuncta tuo parent, ô rerum maxime, ſceptro,
Cùm ſint ſub pedibus terra, poluſque tuis.

Recordans Ieruſalem extendo in eam ſenſum cordis, Ieruſalem patriam meam, Ieruſalem matrem meam, teque ſuper eam regnatorem omnia bona ineffabilia ſimul continentem, quia unum ſummum, & verum bonum tu es. *Med.c.*18.

Quand

Quando veniet dies lætitiæ, & exultationis, in quâ ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum *Dei*, ut videam videntem me facie ad faciem, & ſatietur deſiderium meum? *Sol.c.34.*

O Ieruſalem domus Dei æterna, poſt Chriſti dilectionem tu eſto lætitia & conſolatio mea; dulcis memoria tui nominis ſit relevatio mœroris, tædiorumque meorum. *Med.c.20.*

Ibi ſunt oves, & agni, qui jam hujus voluptatis laqueos evaſerunt, exultant omnes in proprijs manſionibus. Diſpar eſt gloria ſingulorum, ſed communis eſt lætitia omnium. *Med. c. 25.*

Felices Sancti Dei omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, & pacis: ſecuri ſemper, feſtivi, atque gaudentes eſtis. *Med.c.23.*



Semper in luto iacuiſsem, niſi tu me erexiſses; ſemper cæcus fuiſsem, niſi tu me illuminasses. S. Auguſt. Sol. c.15.

XVIII.

Semper in luto jacuiſſem, niſi tu me erexiſſes; ſemper cœcus fuiſſem, niſi tu me illuminaſſes. *Sol.c.15.*

PLectra priora canunt olidi ſub imagine porci,
(Talem Graia meret ſi chelys ulla fidem)
Turpiter in fœdo degiſſe Elpenora cœno,
Spurcáque non unis roſtra tuliſſe locis.
Illi victus erat naſorum peſtis, & inter
Turpes, ſummus amor, vertere membra, ſues.
Talia, quiſquis is es, docto qui carmine ſcribis,
Aöniis volvens abdita ſenſa modis;
Hei! mihi quàm verax, mutato nomine, de me,
Vatum magne, tibi fabula dicta fuit.
Ille ego ſum, qui ſex, ſuis inſtar, luſtra peregi;
Cui fex potus erat, fœda cloaca cibus.
Ille ego ſum, infami quem per vaga rura, per urbes,
Monſtrarunt digito virque, puerq; ſuo.
Cujus ſpurcïtiem paſſim fora publica norant:
Norant in varias compita ſecta vias.
Et quoties ibam per apertas fortè plateas,
Hic eſt, clamabant, quem ferus urit amor.

Qui calces matri, calces iacit impius aſtris,
Exlex, & nullum qui ferat ore iugum.
Hic eſt, qui totas agit inter ſtercora noctes,
Infames inter fœda, lutumq́ dies.
Non homo, ſed monſtrum naturæ, immania cuius
Authores vitæ ſaxa fuiſſe, canunt.
Quem lupa, quem tigres primo fovêre ſub ævo;
Vberibus crevit qui, lea ſæva, tuis.
Talia (nam memini) cæco dum carperer igne,
Multoties tacitâ, perditus, aure bibi.
O! pravos auſus, ô! vitæ tempora, ſiccis
Donec ero, nunquàm prætereunda genis.
Hæc hominum permitte, Deus, vulgentur in ora,
Et vitæ recolam turpia probra meæ.
Si non vidiſſes, heu! me tum mitis ab alto,
Quo iam verſarer putris, olenſq́ luto?
Quæ ſcelerum eluvies, quæ me modò peſtis haberet?
Quæ ſors veniſſet peior, in orbe, meâ?
Non modò nam bruto vivebam corpore, & atras
Mos mihi ſemper erat mandere dente dapes;
Sed noſtris ſtrages etiam hæc erat addita fatis,
Quòd penitùs gemino lumine captus eram.
Non plus cernebam, quàm filia quem pia rexit,
Cuius turpe nefas ſenſit uterque parens:

Aut cui, dum tecto dormibat proximus alto,
Abſtulit antiquam præpes hirundo, diem.
Luce carens, cœno ſtertebam lætus in omni,
Incola fœtidior quàm ſit olentis haræ.
Augiæ in ſtabulo feces mihi mille placebant,
Nec poteram infando hoc me ſatiare fimo.
Ingluvies horrenda nimis, ſic ſordibus alvum
Replere, ut tantis immoriare malis.

Deſperare utique potuiſſem propter nimia peccata mea, niſi Verbum tuum caro fieret, & habitaret in nobis. Sed deſperare iam non audeo, quia cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filij tui. *Med. c.* 14.

Gratias ago labijs, & corde, & omni quâ valeo virtute, infinitæ miſericordiæ tuæ, Domine *Deus* noſter, pro omnibus miſerationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis ſubvenire dignatus es. *Medit. c.* 16.

Dicebam, Hoc faciam, illud perficiam; nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas; aderat facultas, non erat voluntas, quoniam de meis viribus confidebam. *Sol. c.* 25.

TRAHE ME AD FONTEM VIVUM, VT INDE BIBAM, VNDE SEMPER VIVAM, DEVS MEVS, VITA MEA. Med. c. 37.

Sylva viret iuxta Elyſios cultiſſima campos;
Cœlicolûm læto ſæpè petita pede.
Hæc mihi viſa fuit illo ſemel auſpice, noſtra,
Aſſiduus, dio, qui cremat oſſa, rogo.
Dumq́ hærens luſtro miracula maxima rerum;
Iſtic proſpectus quæ tenuêre meos;
Præ reliquis viſus mihi fons mirabilis, undas
Ad medium, vitreas, uſque vibrare polum.
Fons ſacer, & niveus magno dabat impete, ſumma
(Artis opus miræ) ſidera versùs aquas.
Quem ſimul ac iuxta ſtetimus, Bibe, Lux, mea, dixit,
Et tua tam ſancto munere corda leva.
Hic ſiquidem fons vivus aquæ eſt ſaliētis in axes
Æthereos, ſuperis delicium omne choris.
Vix verò primis guſtaram talia labris,
Cùm ſenſu cœpi fortior eſſe meo,
Et totis maior venit fax ignea venis,
Amplior & ſolito crevit in oſſa vigor.

Tum

Tum ſupplex Genium iſtarum veneratus aquarũ,
Hæc cecini grati ſymbola pauca animi:
Vivite, ſidereis natæ de fontibus undæ;
Vivite, & ad ſuperas tendite ritè domos.
Cœlituum vos labra, ſacræ vos ætheris alæ,
Vos ſola terrarum, vos freta ſalſa petunt.
Præ vobis, medicas nullus mihi porriget undas,
Nec quæ Pœoniâ conficit arte ſenex.
Nam ſi me quandoq; petat fax pronuba lethi,
Et mors inviſum proxima pandat iter;
Iamq́; nigrâ ſedeat torvus ſub arundine remex,
Tendat & infernæ pallida vela ratis,
Debebunt per vos nigræ mea fata ſorores,
Et vitæ rurſum vertere fila meæ.
Vtq́; ferunt Phœbo genitum, Cretenſibus herbis,
Androgeo raptas reſtituiſſe colos:
Sic ſimul ac veſtras guſtabo languidus undas,
Vividus effœto ſtabit in ore color;
Et gelidos roſeus vitæ calor ibit in artus,
Gratior atque novo vere Iuventa fluet.
Credite, vivit in his omnis Podalyrius undis;
Vivit in hoc vitæ luxq́ue, ſaluſque ſpecu.
Iſta Machâonios ſuperant, mihi credite, ſuccos,
Et fontes ſuperant, Græcia clara, tuos.
O! bone, quis toto, tam caras, corpore, lymphas,
Tam niveum toto non petat ore, merum?

Quis te, quis liquidos, donum mirabile, fonte
Non colat, & tantis quærat adeſſe bonis?
Cuncta priùs lato remeabunt flumina ponto,
Inverſas ducent noxque, dieſque vices;
Nec tellus fruges, nec habebunt æquora piſces,
Nec flammas ignis, nec levis orbis aves;
Quàm tam ſancta meo labantur pectore dona,
Sive mihi quid erit, ſive ſuperſtes ero.
Te ſons, te cunctis venerabor, ô auree, ſæclis,
Te fugiente die, te veniente bibam.
Præſcia Phœbæis ſurget dum curſibus Eôs,
Lux mihi nulla aderit te ſine, nulla quies:
Nam tu vivarum fons es cœleſtis aquarum;
Tu noſtris Chiron, tu medicina malis.

Anima mea ſicut terra ſine aquâ tibi; qui ſicut ſe illuminare de ſe non poteſt, ita ſ ſatiare de ſe non poteſt. 13. *Conf. c.* 16.

Verè in altiſſimo, & ſecretiſſimo bonitati tuæ profundo latet fons unde manat fluviu miſericordiæ tuæ. *Man. c.* 32.

Quis mihi dabit, ut venias in cor meum & inebries illud, ut obliviſcar mala mea & unu

& unum bonum amplectar te ? 1. *Confeſſ. cap.* 5.

OMNIA MIHI AMARESCANT, VT TV SOLVS DVLCIS APPAREAS ANIMÆ MEÆ, QVI ES DVLCEDO INÆSTIMABILIS. Sol. c. 22.

Tetra volunt, pueri quoties abſinthia ſumant,
Nobile qui medicâ nomen in arte gerunt;
Dulci melle priùs grave-olentia pocula circùm
Aſpirant, fœdus fallat ut ora ſapor.
Tū puer in ſpecie, quaſi dulci hoc nectare captus,
Evertit celeri, quæ data pocla, manu.
Et plerumq; priùs pleno quàm gutture ſumat,
Neſcius ad tantam ridet amaritiem.
Sic nos infantes (neque enim eſt ſapientior illis,
Qui rerum vanis ſe ſinit uſque trahi)
Fraude pari ſemper ludit Caro, ludit & Orbis,
Et Stygis in noſtram nata caterva necem.
Et ne incorruptis ludos videamus ocellis,
Mille parant fraudes, retia mille parant.
Ah! nimis ex facili, valeant quæ fallere, fingunt
Mens quibus ad fraudes ingenioſa nimis.

Idalis impuro ſi vult ut hic ardeat igne,
Occultum ſpargit, læſa per oſſa, rogum.
Hunc cultu tollit, gemmis hunc perdit & auro;
Huic oculo dominæ pellice fata parat.
Quos vult, exhibitâ mortis velut ægide, ſternit;
Cui ſunt mille faces, mille venena domi.
Si vis, Munde, nigri ſi vis dominator Averni,
Vt ruat in caſſes ille, vel ille tuos;
Ante oculos ſtabunt magnarum inſignia rerum,
Et nihil his dicent altius eſſe notis.
Faſcibus hunc capient, capiẽt hunc murice, & ille
Auro tolletur captus, & ille mero.
Omnia quò fallant, aſpergunt omnia vino,
Et ſua ſub dulci mellie venena tegunt.
Apponunt eſcæ, fallaces cuilibet hamos;
Et toto, laqueos mortis, in orbe ſerunt.
Cùm tot ſint igitur foveæ, tot retia, per quæ
Debeo non unas ire, redire vias;
Da, Deus, *ut fiam fraudes oculatus ad iſtas,*
Incautum fallant ſaxa nec ulla pedem.
Omnia fœda meo da ſint, & amara palato,
Quæ Caro, quæ furvâ cũ Styge Mũdus habet.
Te præter, mihi nil ſapiat, qui nectare, & omni
Dulcior es mannâ, dulcior eſq; mero.
Cùm venies, abigam quos vendit Cypria fumos;
Et Stygis, & Mundi lætus abibo plagis.

Dul-

Dulciſſime, benigniſſime, & pulcherrime, infunde, obſecro, multitudinem dulcedinis tuæ, & charitatis tuæ pectori meo: ut nihil terrenum, nihil carnale deſiderem, vel cogitem; ſed te ſolum amem, te ſolum habeam in corde, & in ore meo. *Med. c.* 36.

Memoria tua ſancta, & dulcedo tua beatiſſima poſſideat totam animam meam, atque in inviſibilium amorem rapiat eam. *Med. c.* 33.

O Lux beatiſſima, quæ non niſi à purgatiſſimis oculis videri potes; ſana oculos meos, ut ſanis oculis te contempler, quem non niſi ſani oculi intuentur. *Sol. c.* 34.

Amplectar te bonum, ſine quo nihil eſt bonum; fruar te optimo, ſine quo nihil eſt optimum. *Sol. c.* 1.

Tu es, *Deus*, plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis ſuavitatis. 2. *Conf. c.* 5.



Feciſti nos ad te, et inquietum eſt cor noſtrum Domine, donec requiescat in te. S. Aug. 1. Conf. c. 1.

XIX.

Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtum, Domine, donec requieſcat in te. 1. *Conf. c.* 1.

NVmquàm tuta quiës, numquàm pax certa ſub aſtris;
Mille animo curas noxque dieſque parit.
Hoc Salomon vidit, ſolio cùm clarus eburno
Laxavit votis omnia frena ſuis.
Iam, ſibi dicebat, ſatiabor murice, & auro;
His ſaties rebus grandis ineſſe ſolet.
An te delectat ſpecies prædivitis horti?
Penſilis hîc omni flore virebit ager.
An vino, gemmiſq; graves crateras anhelas?
Hîc vinum ambroſijs purius ibit aquis.
Velificare tuis, mea mens, affectibus, (inquit)
Opta, ſors homini quod dare dextra poteſt.
Quod cupis, hora dabit, nullam patiêre repulſam;
Copia vis cornu divite fundat opes?
Spondeo Perſarum montes, & ditis Ibêri
Gazas, & Graiûm robora, reſq; Phrygum.
Quidquid apud claros Seras reſplendet, & Indos,
Vina ſub extremo littore ſiqua placent;

Omne

Omne tuum cenſe, ſpoliabo Nerea gemmis,
Quas vicina rubri littoris unda parit.
Auratâ ſplendet Parium tibi marmor in arce,
Citrea trabs, Libani gloria, tecta tenet.
Nil parſi votis; tibi navibus, atque quadrigis
Quæſivi gemino quidquid in orbe micat.
His, mea mens, gaude, tua ſunt; quid ſtulta paratas
Et fugis, & torto lumine cernis opes?
Hæc rex, ingenij flumen cæleſte, canebat,
His reperire ſtudens otia vera bonis.
Sed curis ubi ſe vidit gravioribus angi,
Stultitiam culpans talia dicta dedit:
Fumus opes, & fumus honos, & citrea fumus
Tecta; meri fumus pocula, fumus amor.
Forma, decorque vitro magè futilis; omnia fumus,
Si cautè videas, omnia fumus eunt.
Hæc mentem curis ſolvent, hæc nubila pellent,
Quæ ſunt incerto mobiliora freto?
Præter amare Deum pax nulla, nec otia cordi;
Omnia ſunt turbæ, præter amare Deum.
Illic vera quies; vis mundi evadere fluctus?
Effuge tot nugas, te quoque iunge Deo.
Hac omnes barathri fugies ſtatione procellas;
Fixa tuis erit hîc ancora ſacra malis.

En ad te clamamus redempti tui, ſed & nunc exules tui, quos pretioſo Sanguine redemiſti. In mari turbulento verſamur, tu in littore ſtans, aſpice pericula noſtra: ſalvos nos fac propter nomen tuum. *Sol. c.* 36.

In hoc enim magno huius vitæ diluvio, ubi circumſtantibus agitamur procellis, & non invenitur fida ſtatio, & locus eminentior ubi pes columbæ valeat aliquatenus requieſcere, nuſquam tuta pax, nuſquam ſecura quies; ubique bella, & lites, ubique hoſtes; ſoris pugnæ, intus timores. *Med. c.* 37.

Infelices, heu! nos miſeri, qui per huius maris magni fluctus, procelloſaſque voragines navem trahimus, ignorantes an ad portum ſalutis pervenire valeamus. *Sol. c.* 35.

Anima, quam creaſti, ita facta eſt capax maieſtatis tuæ, quod à te ſolo, & à nullo alio poſſit impleri. Quando autem te habet, plenum eſt deſiderium eius, & iam nihil aliud quod deſideretur exterius reſtat. *Sol. c.* 30.

TÆ-

TÆDEAT ME, DVLCIS JESV GAVDERE SINE TE, ET DE LECTET CONTRISTARI PR TE. Med. c. 7.

O! *Mea ſpes, ô! ocelle animæ, ô! flammul cordis,*
O! Jesu, *votis meta, ſcopuſque meis:*
O! cupidis ubi te perſtringens fortiter ulnis,
Immoriar labris pendulus erro tuis?
Et ſuavi ſolvam gemitu languentia vitæ
(Tam pia defigens oſcula) penſa meæ?
O! Jesu, *Charitum myrmecia, quando ſacrat*
Halitibus paſcar, ô! mea Vita, tuis?
Quando bibam tenuem pectus quam prodig undam?
Quando meam explebit roſcida plaga famem
Luce mihi, Jesu, *patulis verſaris ocellis;*
Nocte meo dormis, pupule chare, ſinu.
Quàm iuvat hoc totum me laſcivire roſeto,
Et lenociniis pandere vela meis.
Non ego tum cupiam Phrygiæ convivia menſæ
Invideamúe tuo, Iuppiter alme, throno.
Puniceas dextrâ, lævâq; prehendo corollas;
Et quæ mellifluo vulnera fonte ſcatent.

Emoria

Emoriar, ſi non hoc nectar inebriat artus;
Emoriar, ſi quid lætius eſſe poteſt.
Si me blanda fides, ſi barbitos allicit, iſta
Barbitos & IESUM *pangit, & iſta fides.*
Eſt Laurus liquidi propter caput ardua fontis,
Miſta ubi pallidulis floribus herba viret,
Hîc citharâ ſi fortè levo modulante dolores,
Vocaliſque meum Muſa maritat ebur;
Nil cano, nil arguto, niſi mea gaudia IESUM;
Principium eſt plectris, finis & ille meis,
Inſcripſi quoties tenero tua nomina libro;
Crevit & in viridi cortice noſter amor.
Teſtis eris, reſtat modò ſi quis in arbore ſenſus,
Laure, nimis Clario nuper amata Deo:
Sub teneras quoties cecini mea gaudia, frondes,
Quæ fuit & dorſo littera ſcripta tuo.
Quas te non juſſi voces ediſcere, quæ non
Carmina, fila mea dum ſono tenſa lyræ?
Laure. precor, bona vive diu, quæ nobile IESU
(Fortè tibi invideant ſidera) nomen habes.
Vive diu, fidibus IESUM *quæ docta magiſtris*
Scis hunc non uno jam reſonare modo.
Te non lædat hiems, æſtas non urat, & iſtas
Non tangant unquam tela triſulca comas.
Hîc ætate gravis renovet ſua tempora Phœnix;
His poſtrema canat carmina Cycnus aquis.

Te

Te numquam cernam, quin ſigam baſia; mille
Tam ſanctis properè baſia corticibus.
Quin caſiâ frondes coſtoque, thymoque coronem
Et ducam feſtis orgia læta choris.
Laure, precor, bona vive diu, qua nobile IESU
(Fortè tibi invideant ſidera) nomen habes.
Vive diu, noſtriq́; ſimul vivetis amores;
A ſenſu pendet nam mea flamma tuo.

Quia tui validа eſt ut mors dilectio, ab-ſorbeat quæſo mentem meam ab omnibus quæ ſub cælo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui, ut tibi ſoli inhæream, ſolâque tuæ ſuavitatis memoriâ paſcar. *Med.c.35.*

O felix jucunditas, & jucunda felicitas Deum videre, & Deum habere in æternum & ultrà. Hoc ſedulâ mente cogitemus, hoc toto deſiderio deſideremus, ut ad eum citò pervenire valeamus. *Man.c.16.*

Veniat mihi, *Domine*, tui amoris mira & inenarrabilis fragrantia, quæ ſempiternas in me ſuſcitet concupiſcentias, & ex corde meo perducat venas ſalientis aquæ in vitam æternam. *Med.c.35.*

Ni

Nihil blandius eſt tuâ charitate, nec ama-
ur quidquam ſalubrius, quàm illa præ cunctis
ormoſa, & luminoſa veritas tua 2. *Conf. c.* 5.

NULLUM TAM POTENS, ET TAM EFFICAX CONTRA ARDOREM LIBIDINIS MEDICAMENTUM, QUAM MORS REDEMPTORIS MEI. Man. c. 23.

Aſſiduo quoniam me vis contendere bello,
Palmaq; non uno Marte petenda venit:
Congredior, da tela, Deus, vireſq; miniſtra;
Me meus ardor agit, me mea flamma rapit.
Nil Erebi furias, nil caſtra hoſtilia Mundi,
Blanditias timeo nil, Caro fœda, tuas.
Stabimus, & clypei tecti ſeptemplicis orbe
Vertemus forti tela, faceſque manu.
Stabimus, & magnam pugnando tuebimur arcem;
Et ferro, & flammis hæc mea dextra valet.
Te duce, Tartareos ibo ſecurus in hoſtes;
Crux tua nam vallus, præſidiumq; meum eſt.
Hîc mihi pro longo ſumetur lancea telo;
Pro galeâ, capitis ſpinea ſerta tui.

Pro

Pro ſagulo, capiam matris dona inclyta veſt
Pro calamis , alter clavus , & alter erit.
Sic galeâ tectus , valido ſic fervidus enſe,
Per medias acies promptus in arma ruam.
Nec mihi tela metũ facient, nec flãma, nec en
Hic ero Pelides, hic ferus Hector ero.
Sed quid me juxta video? Stygis horrida pub
Circumfuſa meum cingere viſa latus.
State, quis in noſtros vos huc Deus impulit en
In cladem hanc, quæ vos fata, furorq́; trahu
State procul nigri manus execranda tyranni,
Aut certam facient tela parata necem.
Ah! video, ſævam petitis, mala turba ruinai
Fors cædi noſtro vos quoque Marte juvat;
Corpora corporibus componite, jungite vires
Viribus, & cunctas quærite Ditis opes;
Congrediar, dum tela Deus, vireſque miniſti
Crux mihi præſidiũ, vallus, & arma mihi
Cernite, quàm denſo labuntur ab aggere D
Vt madidam mordet Styx furialis humun
Fortiter audendum noſtris polus annuit auſi
Vnde tot in cœdes ferrea ſylva venit. [tur
Quàm benè, Chriſte, *tuo jugulantur ab ag*
Quæ menti quærunt furta, necemq́ue meæ
Omnia tartarei monſtra expugnabo tyranni
Lerniferaſque manus, monſtriparaſque ſtri

Di

ummodò tela, Deus, nobis, animũq; miniſtres,
Hæc omnis, ferro præpete, turba cadet.

Tentamur quotidie, *Domine*, ſine ceſſatio-
e tentamur, quotidiana fornax noſtra eſt.
nperas nobis & in hoc genere continen-
am; da quod jubes, & jube quod vis. 10.
onf. c. 37.

Cùm me pulſat aliqua turpis cogitatio,
ecurro ad vulnera *Chriſti*. Cùm Diabolus
iihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſeri-
ordiæ Domini mei, & recedit à me. *Man. c.* 22.

Omnis ſpes, & totius fiduciæ certitudo,
iihi eſt in pretioſo Sanguine ejus qui effuſus
ſt propter nos, & propter noſtram ſalutem.
ı ipſo reſpiro, & in ipſo confiſus ad te per-
enire deſidero. *Med. c.* 14.

Ægrotus ſum, ad medicum clamo; cæcus
ım, ad lucem propero; mortuus ſum, ad
itam ſuſpiro. Tu es medicus, tu lux, tu vi-
ı. IESU Nazarene, miſerere mei, Fili Da-
id, miſerere mei, fons miſericordiæ. *Sol. c.* 2.

XX. Po-



Polum penetrabo mente, et deſiderio tecum ero. S. Aug. Man. c. 14.

X X.

Polum penetrabo mente, & deſiderio tecum ero. *Man. c.* 14.

Eſſe quidem fateor triſtiſſima tempora belli,
Cùm dites populat miles, & urit agros.
Et triſtis multùm rapidæ vis ultima Parcæ,
Funereo abſumit corpora quando toro;
Sed mea ſunt iſtis magè nubila tempora rebus,
Dum tacitâ clades mente revolvo meas.
Tot curis uror, tot maceror undique votis,
Vt mihi ſit vitam vivere, pœnè mori.
Naſo Tomitanas non ſic ejectus in oras;
Exilij luxit tempora dura ſui;
Quàm quæror, & lacrymis mea funera proſequor udis,
Nec lux grata meis luctibus ulla venit.
Quò me cumque fero, pax nulla doloribus, omnis
Terra ſit in gemitus ingenioſa meos.
Multa dies abijt, ſpatium mihi longius ævo,
Quò petij ſuperas ſcandere poſſe domos;
Oranti ſurdas cœlum ſed præbuit aures,
Abſtulit & longè ſpem levis aura meam.

Sæpè gemēs dixi, quàm plena doloribus hæc ſunt;
Mortes mille parit nox mihi, mille dies.
Nec video qui me tam multo ſunere ſolvat,
Vel ſomenta meis præbeat ulla malis:
Quæ dum ſic patior, quoties mihi dicta beata eſt,
Quæ ſenſus poſuit ſacta repentè lapis.
Et felix Lothi conjux, ſub imagine quæ ſtat
(Iuſſa Deûm tanti eſt ſpernere) verſa ſalis.
Vos quoque felices, quarum de cortice, ſratrem
Gutta cadens miro ſlet pretioſa modo.
Si quia non merui, Superi me tollere nolunt,
Et durâ accipiunt ſupplicis aure preces;
Curre cor, & ſacras motu pete præpete ſedes;
Exiguum tribuent, ut reor, aſtra locum.
Nec pete Gorgonei collum frenare caballi;
Nec pete Triptolemi ducere poſſe rotas.
Si te torret Amor, pennas dabit ille volucres;
Vt Deus ille levis, ſic levis ales eris.
Cùm tamen intraris ſuperûm penetrale Deorum
Ne migrare velis, vel remeare, cave.
Non eſt in toto ſedes magis aurea mundo,
Quà polus immenſam cærulus ambit humum
Illic læta ſluunt fragranti balſama ligno;
Et ſluit innumeris myrrha Sabæa locis.
Quacumque incedes, & murice pictus Adonis,
Et Narciſſus erit, purpureuſq; crocus.

Nec triſtes ibi ſunt curæ, nec turpis egeſtas,
Non mors, non duræ mortis imago ſopor.
Sed cantus, & opes, & amor, ſed voce perenni
Mellitæ reſonant quæ leve carmen aves.
Quin imò totos (res prodigioſa) per agros
Ridet ibi æternis Flora benigna roſis.
Denique talis in his vernat ſeges aurea terris,
Luxuries omnem vincat ut ipſa modum.
Ocyùs ergo vola, nobis habitabitur, eheu!
A tantis multùm terra remota bonis.

Mens illa beata, quæ ima deſerit, ſumma petit, quæ ponit in arduis ſedem habitationis ſuæ, & de ſummis rupibus *Deum* contemplatur. *Med.c.26.*

O patria noſtra, patria ſecura! à longè te videmus, ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle te ſuſpiramus, & nitimur cum lacrymis, ſi quando ad te perveniamus. *Sol. c. 35.*

Intrem in cubile meum, & cantem tibi amatoria, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione meâ, & recordans Ieruſalem extento in eam ſurſum corde, Ieruſalem patriam meam, Ieruſalem matrem meam. 12. *Conf. c. 16.*

SIT MIHI NOMEN TVVM, IESV
REFOCILLATIO, ET MEMORIA
TVI CONSOLATIO. Med. c. 7.

Extinctos platanus cælebs priùs umbret ocellos,
Antè tegat cineres frigida teſta meos;
Quàm pereat tua fixa meæ præſentia menti,
Et longâ facies excidat iſta die.
Te nec Centimanus furvi dominator Averni,
Te nec Parca ſuâ tollet avara manu.
Quàm mihi dulce mori tecum, quã vivere dulce,
Dulce mihi tecum vivere, dulce mori.
Hæc omnes penitus ſepelit dulcedo dolores;
Hoc omnem nectar pellit amaritiem.
Excitat infamem pruritum Cypria? JESUM
Mente revolvo, ſtatim Cyprius ardor abit.
Expugnare parat noſtram draco lethifer arcem;
Hoc, draco, Palladium, lethifer ille timet.
Irruat innumeris ſi Styx armata ceraſtis,
Non flectar, quia me cælicus umbo tegit.
Quàm, mea vita, tuis ſecurus obambulo caſtris
Hîc mihi quàm fauſtæ tempora lucis eunt.
Repperit & turres, & inexpugnabile vallum
Sacra tui quiſquis lumina cordis adit.

Hoc vivam intrepidus, vivam ſecurus aſylo,
Cuius Amor vigilans excubat ante fores.
Hic ferro Æaciden anteibo, Neſtora ſenſu,
Hoſtilis ſi me motus ad arma vocet.
Credite, munificis ita vitam ducimus aſtris;
Vt votum præſtent numina magna meum.
Currimus inflatis velis, Aquilone ſecundo,
Dant placidam puppi cærula ſalſa viam.
Vndivagâ rutilat præfixus in arbore Jesu,
Ignitis radiat crinibus inde ratem.
Et furias, hiemesque animi ferventis amicat
Ille meæ Pollux, & Cynoſura ſcaphæ.
O! me felicem, qui nobilis hoſpite tanto,
Lenimen dubijs haurio præſtò malis.
Nec te complexu teneam? nec eburnea nomen
Argutis celebrent plectra, manuſque modis?
Non dabo puniceo depictos murice flores?
Non fluet è manibus nardina ſpica meis?
Pandet opes Amor, & Syrios tibi noſter odores;
Pinget Apellæâ florea ſerta manu.
Purpureis ſcribetque roſis (ô! littera felix)
Et violâ, Jesum, *verſicolore meum.*
Iamque gravi factis ſtudio, curâque corollis;
Vnus hic inferius verſus, & alter erit.
Floride mi Jesu, violarie puſio, tecum
Dulce mihi, Jesu vivere, dulce mori.

Mox ubi deficient moribundo corpora lecto,
Funereq́ꝫ metet forſice Parca colum;
Tunc ego gemmifluis decerpam baſia palmis,
Et lateri, & cordi baſia mille tuo.
Baſia tunc labris figam, tunc baſia plantis;
Tali oculos claudam toſtus ab igne meos.
Deficiens tamen antè canam tua nomina, JESU,
O JESU, *ô! animo ſpeſque, animuſque meo.*

Hoc nomen ſecundùm miſericordiam tuam, *Domine*, hoc nomen Salvatoris Filij tui, in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat; & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat. 3. *Conf. c.* 4.

Sicut nulla hora eſt, vel punctum in omni vitâ meâ, quo tuo beneficio non utar; ſic nullum debet eſſe momentum, quo te non habeam ante oculos in meâ memoriâ. *Sol. c.* 18.

Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nullâ umquàm oblivione delendam. *Med. c.* 36.

LAVDEM

LAVDEM DICAM NOMINI TVO SANCTO SEMPER. Sol. c. 37.

Nomen balſameo fragrans olivo,
Nomen mille ſuaüius ſuaüi,
Nomen nobilius calente myrrhâ,
Nomen nobilius ſmaragdo, & auro;
Nomen quod cytharâ, & ſonante plectro
Laudant aſſiduè, coluntq; ſtantes
In cœlo Aligeri Deûm puelli.
Nomen quod caſiâ, croco, atque nardo,
Et fumis Arabum ſacris vaporant
Omnes ſyderei chori phalanges.
Nomen, unica Cælitum voluptas,
Vnæ deliciæ; ſalus & una,
Inter tot furias cadentis orbis.
Nomen dulcius optimo falerno,
Longè dulcius Atticoq; mulſo.
Nomen & violis, roſiſq; dignum,
Cùm pars optima iam triumphat anni.
Nomen quod Charitum beata triga,
Quod caſtæ Veneres, quod ipſa Virtus,
Quod ſimplex Pudor, Elegantiæq;
Numquàm ſuavibus hinc & indè ceſſant

Herbis pingere, lilijſque puris,
Narciſſis quoque lucidiſque calthis.
Nomen Cælicolas facit quod omnes
Vinolentâ acino ebrioſiores:
Nomen terrigenas facit quod omnes
Omnium madidos facetiarum,
Omnium ſaturos lubentiarum.
O! nomen grave, nobile, ac beatum,
Non ullam mihi lutei reducant
Lucem cornipedes rubentis axis;
Non ullam mihi pallidi reducant
Noctem cornipedes nigrantis aſtri,
Quin te perpetuò oſculer, ſinuque
Amplectar magis & magis; nec unquàm
Illîc mî videar ſatur futurus;
Quàmvis ſit ſeges oſculationis
Noſtræ iunctior aridis ariſtis:
Quàmvis copia ſuaviationis
Et vincat numerum Libyſſæ arenæ,
Et ponti ſuperet furentis æſtus,
Et toto rutilas faces Olympo.

Benedico Nomen ſanctum tuum in æternum, & glorifico ex toto corde meo, omnipotens & miſericors *Domine*, pro illâ inenarrabili coniunctione divinatis, & humanitatis in

in unitate perſonæ, ut non alter Deus, alter homo eſſet, ſed unus idemque Deus & homo, homo & Deus. *Med. c.* 16.

Quid ego ſum, *Domine*, per me ut laudem te? Pulvis & cinis ego ſum, canis mortuus & fœtens ego ſum, vermis & putredo ego ſum. Quis ego ſum ut laudem te, *Domine Deus* fortiſſime, ſpiritus univerſæ carnis, qui inhabitas æternitatem? *Sol. c.* 10.

Evadam ad te *Dominum Deum* meum, ut videam divitias regni tui, & intuear faciem tuam, & laudem dicam nomini tuo ſancto ſemper. *Sol. c.* 37.

Tribue, *Domine*, ut donec in hoc fragili corpore poſitus ſum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea, & omnia oſſa mea dicant; *Domine* quis ſimilis tui? *Med. c.* 33.



Fons vitæ, da ſitienti animæ meæ ſemper ex te bibere. S. Aug. Med. c. 37.

XXI.

Fons vitæ, da ſitienti animæ meæ ſemper bibere ex te. *Med. c.* 37.

Limosâ morior mundi ſtagnantis in ulvâ;
Nec liquidam præſtò eſt, qui ferat, ullus, opem.
Sæpè quidem volui Babylonia ſumere ſtagna;
Noſtra ſed increvit, ſtagna per illa, ſitis.
Ergo ubi triſtis hiems vitalem exſtinxerit aurā,
Effugietque ſuum ſpiritus antè diem:
Enodes inter iuncos, cannaſque paluſtres,
Depaſcent avidæ viſcera noſtra feræ.
Ah! procul ite, mei pars optima cordis, Amores,
Quos potui innumeris demeruiſſe modis.
Non ego vos poſthàc ſtrictis amplectar in ulnis;
Perfundent veſtram balſama nulla comam,
Pactilibus variare roſis, variare corollis,
Et veſtram Syriâ nube rigare ſtolam,
Hic eat, indulgent cui plenos aſtra calores;
Fortunæ fulſit altera ſtella meæ.
Torreor ardenti, ceu Syrius aſtifer, aſtro
Culta, ſitibundis, fervida torret, agris.

Iam propè deficio, ſi tandem cælite nimbo
Decideret labris gutta vel una meis.
Triſtis Agar puerum reficit putealibns undis,
Ignotam monſtrat dum Puer ales aquam.
Innumeram potuit Moyſes recreare catervam,
Dum ſiccam ſubitis replet erêmon aquis.
Et nos arentes morimur; nec profluus humor,
Nec labris venit Naïs amica meis.
Lux mea, cui quinis emanat lympha ſcatebris;
Qui roſeas, vivo gurgite, fundis aquas,
Irriguam ſitienti animæ pande, Optime, venam:
Extinguar liquidas ſobrius inter opes;
An rurſum ſatiabor aquâ Babylonide? rurſum
Ambabus malis ſœtida ſtagna bibam?
Fons vitæ, ſine me paſci lateralibus undis;
Nil niſi de patulo flumina corde fluunt.
His Genio indulgere meo, his ſatiarier undis
O! ſi vel modicùm me tua dextra ſinat:
Ebria mens ſine fine ſuos reſonabit Amores;
Vt reſonat flammas Atthis amœna ſuas.

O fons vitæ, vena aquarum viventium quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terrâ deſertâ, & inviâ, & inaquosâ, ut videam virtutem tuam, & gloriam tuam, & ſatiem ex aquis miſericordiæ tuæ ſitim meam? *Sol. c.* 35.

JESU

Jesu Domine, Jesu pie, Jesu bone trahe os ſitientis te animæ in ſuperna fluenta æternæ ſatietatis; imò trahe me ad te fontem vivum, ut inde pro captu meo bibam, unde ſemper vivam, *Deus* meus, vita mea. *Med. c.* 37.

Fons vitæ, reple mentem meam torente voluptatis tuæ, inebria cor meum ſobriâ ebrietate amoris tui, ut obliviſcar quæ vana & terrena, & te ſolum iugiter habeam in memoriâ meâ. *Med. c.* 37.

Eſuriat te anima mea, ſitiat te caro mea, deſideret te tota ſubſtantia mea, donec intrem in gaudium *Domini mei*, ibi permanſurus in ſæcula. *Man. c.* 36.

POSSIDEAM TE, BEATITVDO SEMPITERNA, POSSIDEAM TE IN MEDIO CORDIS MEI. Sol. c. 1.

MAgne Deus, *rerumque parens, & origo mearum,*

Quo nihil æthereus dulcius orbis habet,

Da

Da tua complexu teneam iunctiſſimus ora,
Hoſpitioque tui, tempora, cordis, agam.
Et ſi fortè meæ non ſunt tibi tædia flammæ,
Manſuros noſtro pectore fige lares.
Non ita poſt hiemes, & verſas æquoris vndas,
Nauta petit patriam laſſus adire domum;
Non ita puniceos Auroræ flagitat ortus,
Dum prægrande parat ire viator iter:
Quàm peto te terraq́ꝫ, mariq́ꝫ, domiq́ꝫ foriſq́ꝫ.
Ad tua quàm tendo, Numina, ſæpè manus.
Nec mirum, quid enim te maius continet orbis,
Aut quid amore tuo ſuavius eſſe queat?
Sive petam undantes Zephyri ſpiramine ſylvas,
Sive petam pictis plena virêta roſis:
Cuncta mihi ſordent, nec ſylvis recreor ullis,
Nec capiunt animum picta virêta meum.
Sic odit mirâ ſtratam dulcedine menſam;
Cui morbo perijt dulcis in ore ſapor.
Magdalis hoc ſenſit, Cypriјs quæ trãsfuga caſtris,
Sub ſignis meruit digna virago tuis.
Nã teneras carpſit poſtquã nova flãma medullas
Et pia iam ſponſo cœpit adeſſe ſuo;
Coccina, famoſæ pretium, procul exuit, artis;
Et flavis gemmas, quas tulit antè, comis.
Deliciæ tu ſolus eras, tu ſola voluptas,
Tu mentis requies, ſolus, & unus amor.

Audierat

Audierat Dominum tectis ſplendentibus iſſe,
Vt Phariſæe tuas ſumeret ore dapes;
Nil riſus, urbiſque iocos, poſteſque ſuperbos,
Nil domini curans grande ſupercilium,
Ilicet excurrit, celeres Amor addidit alas;
Tantus in egregiâ virgine fervor erat.
Excurrit, penetratque levi penetralia paſſu,
Fuſus ubi picto murice ſponſus erat.
Tum verò ingenti præcordia ſaucia flammâ,
Incepit nudos ſtringere tota pedes.
Tum lacrymas undare, ſacras tum tergere plãtas;
Tum dare cum Syrio dives arôma croco.
Oſcula mox ſanctis infigere millia plantis,
Et poſt hæc, rurſum millia plura dare.
Non ſic appoſitis nectuntur vitibus ulmi,
Nexuit ut ſponſo brachia caſta ſuo.
Vt verò Dominus iacuit poſt funera mortis,
Et ſacra marmoreus condidit oſſa ſpecus:
Ocyùs exiliit pernicibus excita curis,
Vt clauſo raperet corpora cara ſpecu.
Nulla polo clarum præbebat Cynthia lumen,
Illa tamen Solymis longiùs ibat agris.
Audacem faciebat Amor, quod tela, nec enſes,
Non horret tenebras, hoc faciebat Amor.
Vt cautè vigiles fallat, vigilabat & ipſa,
Armaque, ſi ſit opus, dura pararat Amor.

Sic potuit tantum, quia magnis ignibus arſit;
Fac mea mens ſimili protinus igne flagret.
Fac tua complexu teneam iunctiſſimus ora,
Hoſpitioque tui, tempora, cordis, agam.

O! vita, cui omnia vivunt, vita per quam vivo, ſine quâ morior, vita per quam gaudeo, ſine quâ tribulor, vita vitalis dulcis, & amabilis, ubi te inveniam, ut in me deficiam, & in te ſubſiſtam? *Sol. c.* 1.

Ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te; propter te; ipſa eſt, & non altera. 10. *Conf. cap.* 22.

Tibi non eſt aliud vivere, aliud beatè vivere, quia tua beatitudo tu es. Creatura verò tua cui eſt aliud vivere, & aliud beatè vivere, omne quod vivit, & beatè vivit, non debet niſi gratiæ tuæ attribuere. *Med. c.* 18.

RENVIT CONSOLARI ANIMA MEA, NISI DE TE DVLCEDO MEA. Med. c. 14.

Quàm

Q Vàm duro pridem currunt mea tēpora fuſo;
Quàm vitæ ſors eſt uſq; noverca meæ.
x quo me Genitrix ſub luminis edidit oras,
Primaq; poſt lacrymas oſcula læta dedit;
emper ab immiti tumuerunt corpora noxâ:
Nec triſti facies luxit amica polo.
ulti hanc fomentis conati extinguere cladem,
Multi ſunt medicâ ſæpiùs arte malum:
uxerunt ſed cuncta meos fomenta dolores;
Auxerunt medicæ vulnera cruda manus.
tq; magis creſcit, & plus iraſcitur ignis,
Si modico tantùm ſine rigetur aquæ;
ic meus in toto qui corpore perfurit, iſtis
Auxilijs cœpit ſævior eſſe dolor.
quius hæc paterer, ſi poſſem fortè tueri
Qui ſtragem huic ullo ferret in orbe parem.
olatur noſtros ſimilis fortuna dolores;
Et plus ille dolet, qui ſine ſorte dolet.
randine qui ſpicas, & ſpem malè perdidit anni,
Si ſocios habeat, mitius iſta feret.
aufragus everſâ quærit trabe, ſi ſit eodem
Eiectus ponto qui ſua damna fleat.
ed quocumq; oculos longè, latéque revolvo,
Nulla meis veniunt aſſocianda malis.
Deus, & mortes inter, vitamque iacentem,
(Si qua tibi noſtræ cura ſalutis ineſt.)

Me

Me facilis mitiſque vide, tum voce potenti
Parcarum revoca fila, breveſque colos.
Te ſine nec Phœbus, nec proles maxima Phœbi,
Phyllirides Chiron nec feret ullus opem.
Sed nec opus lymphis tibi, néve potentibus herb
Plus iſtis vultus, plus tua dextra poteſt.
Sancte veni, & totis morbos expelle medullis;
Dura eſt in tanto, crede, dolore mora,
Scis equidem quanto te ſæpiùs ore rogavi,
Ars tua tot morbis ut citò ferret opem.
Intereà rota verſa fuit non unius ævi,
Nec peſtes viſa eſt dextra levare meas.
Tandem lenis ades, mea Lux, refoveq; rigent
Si dignus videor muneris eſſe tui.
Serta dabo, pecudeſque tuis non ſegniter aris,
Ter faciam libo, ter faciamque mero.
Tum pauca appenſis addam mea vota tabellis
Tu modò fac tabulis, carminibuſq; locum.
Audior, en fugiunt morbi, fugiuntq; dolores;
Et fiunt animo cuncta ſerena meo.
Iam vegetus, iam lætus eo, iam reddere ſan
Integer accelero thura, merumq; focis.
Hæc ſpecta, mea Lux, & quæ tibi munera lib
Proximior ſemper, proximiorque vide.
Vnica nam panace venis es, & unicus ardor
Vnica lux oculis, unica vita fibris.

Ci

Qui hîc conſolantur, indigni tuâ conſolatione habentur; ſed qui hîc cruciantur, à te conſolantur, & qui participant paſſionibus, participant & conſolationibus. *Sol. c.* 22.

Quaquaverſùm ſe verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquàm in te. 4. *Conf. c.* 10.

Beatus qui ſedet ſolitarius, & tacet, & ſtat ſuper cuſtodiam ſuam iugiter die ac nocte; ut adhuc in hoc fragili corpuſculo poſitus prælibare valeat aliquatenùs dulcedinem tuam. *Med. c.* 37.

O! gaudium ſuper gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium, quando intrabo in te? Quamdiu, miſer, iactabor fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, & non exaudies? *Sol. c.* 35.

XXII.



Lubricæ ætatis motus, actusque leues coercet. S. Aug. Man. c. 19.

XXII.

Amor lubricæ ætatis motus, actuſque leves coërcet. *Man.c.19.*

HOc vitæ, rapidis teritur quod paſſibus æquor,
Mille mali ſpecies, mille laboris habet.
Lubrica ſic glacies non eſt, ſic lubricus anguis,
Lubrica quàm vitæ ſemita tota tuæ.
Reſpice quàm crebro ſignata ſit orbita lapſu,
Hîc ubi cervicem fregit, ubi ille pedem;
Et dices; hæc ſunt millenis plena periclis,
Vix qui ritè cavet, ſat cavet ille tamen.
Innumeros narrare velis ſi carmine caſus;
Tentabis plus quàm res ſinit ipſa loqui.
Præcipitem quia tam multi fecêre ruinam,
Doctrinâq; graves, & pietate viri;
Vt citiùs Libyæ flavas numeraris arenas,
Nix citiùs Scytico quanta ſub axe jacet;
Quàm numeres caſus, proſtrataq; corpora, quando
In numero numerus deficit ipſe ſuo.
Hic Salomon cecidit, quô non ſapientior alter;
Hic David, Solymi rexq;, decuſq; ſoli.

Hic

Hîc nimis externæ Sampſon confiſus amicæ;
Hîc hominum primus lapſus in orbe parens.
Sic latet occultè, fallitq́ volubilis error,
Vt ſatis hæc pauci damna cavere queant,
Si tam dura mihi ſubeunda ſit area, quòd ſi
Tam filo nutent peſq́, manuſq́ levi,
Certa quis hæc igitur inter diſcrimina, ductor,
Qui me ſuſtentet, ne malè labar, erit?
Quis mihi pôrget opẽ titubanti? quis mihi tẽder
Vt dare ſæpè ſolent per vada cæca, manum?
Hæc ego clamabam, cùm Penniger *aureus ore,*
Multaque promittens viſus adeſſe mihi;
Haud illi abſimilis, puerum ſenis æthere caſſi,
Qui comes Hyrcanas duxit ad uſque plagas.
Porrectâq; manu trepidantẽ, & magna paventi
Solari cœpit talibus indè modis:
Pone metum, duce me caſus ſuperaveris omnes
Tu ſectare meos, ipſe præibo, gradus.
Si callis non firma ſatis veſtigia fallat;
Nil paveas, humeris nitere, tutus eris.
Inter inhumanos teneras ego ſæpè puellas
Carnifices duxi, per grave mortis iter.
Barbara, *quæq; micat geminas exſerta mamilla*
Et ſata quæ Coſti *ſanguine* Diva *fuit;*
Tum latias inter, fax Cæcilis *alma, puellas,*
Et reliquæ, quas nunc cærula templa tenent

Mo

e duce calcarunt flammas, gladioſque, rotaque,
Calcaruntque tuas, æquore Nata faces.
uare pone metum, duce me tutiſſimus ibis;
Ponè meos ſollers tu modò pone gradus.

Beneficia tua magna ſunt, quibus nos ho-
orificaſti, dans nobis Angelos tuos ſpiritus,
miniſterium noſtrum. *Sol.c.*27.

Grandis eſt eis cura de nobis, magnus eſt
ſectus dilectionis eorum erga nos, & hoc
tum propter honorem tuæ inæſtimabilis
aritatis, quâ dilexiſti nos. *Ibid.*

Nobis magna eſt indita neceſſitas juſtè, re-
eque vivendi, quia cuncta facimus ante o-
ılos Iudicis cuncta cernentis. *Sol.c.*14.

Diligunt concives ſuos, per quos ſuæ rui-
æ ſciſſuras reſtaurari expectant. *Sol.c.*27.

IELIVS EST MIHI NON ESSE, QVAM SINE IESV ESSE. Med. cap. 39.

Ni

NI te plus oculis deamem, mea Vita, rep
In deforme ruat, corpus inane, chaos
Te ſine reſpirem? ſine te jubar ætheris alti
Hauriam, & obſcurâ lumina nocte prem
Sulphureas priùs, ô mea lux, detrudar ad un
Quàm mihi ſacra tui nominis umbra cad
Antè gemat toſtū flammâ Phlegetontide pe
Tartareis fiam præda perennis aquis;
Quàm ſine te vivam, quàm mellea ſenſibus
quàm
Excidat æterni nominis aura tui.
Molliciem labris quam non hîc ſugimus udi
Quo non plena calent pectora noſtra mero
Mens ubicumq; meum radio legit indice JES
Protinus æthereum curſitat ales iter;
Et putres linquens latebras, velut enthea, th
Totas incendi ſentit, & igne fibras.
O! & delicias, & amica cupedia, JESUS
Quæ menti ſternit nocte, dieque meus.
Et gazas venaris adhuc miſer Euclio, & hi
Putris oles Paphiæ furta ſaleſque Deæ?
Et te lacteolâ delectant oſtrea carne,
Scrupea muriceis quæ tegit ora vadis?
Ah! pereat, quiſquis præter, mea fercula, J
SUM,
Delicias ullo concipit eſſe cibo.

lb pereat, quiſquis, præter, mea ſcrinia, Jesum;
Divitias ullo ſuſtinet eſſe loco.
terne mihi ſaliare epulum, menſaſq; Deorum,
Maſſica, gemmatus vina refundat onyx;
ranſcendant mea vota Midam, ſi deſit Iesus,
Omnia erunt animo nauſea pura meo.
udus opum vivam pluſquam miſerabilis Irus,
Nec ventrem ſatient murcida fruſta meum;
trangulet eſuries fauces, exibo ſerenâ
Fronte, meæ tantùm ſit comes ille neci.
i te Seraphicæ venerantur, amantq; cohortes,
Si decor ipſe ſoli, ſi decor ipſe poli:
i pro me tantos voluiſti ferre labores,
Hæſerit ut duræ peſq;, manuſq; trabi,
on ego te fervens magno venerabor amore;
Non eris ô animâ dulcior uſque meâ?
onec erunt equidem vitæ mihi tempora, nulla
Te ſine lux ſurget, te ſine nulla cadet.

Nihil tam pulchrum, atque jucun-lum, quàm Iesum mentis intuitu, & ordis aviditate contemplari, & miro nodo inviſibiliter cernere inviſibilem. *Med. ap.* 27.

Dulcis Christe, bone Iesu, ſicut deſi-

derio, ſicut totâ mente peto, da mihi amo
rem tui ſanctum, & caſtum qui me repleat
teneat, totumque poſſideat. *Med.c.36.*

Pijſſime DOMINE, quàm dulcis eſt me
moria tui, quantò magis in te meditor, tan
tò es mihi dulcior, & amabilior. *Man*
cap. 14.

Tædeat me gaudere ſine te, & delecte
contriſtari pro te. *Med.c.7.*

Feciſti me cùm non eſſem; redemiſti me
cùm perijſſem: veniſti pro me, ut redime
res me, dilexiſti me, DOMINE, pluſquàm t
quia mori voluiſti pro me. *Sol.cap.13.*

BONE IESV REPLE COR MEV
INEXTINGVIBILI DILECTIO
NE TVI, VT SICVT FLAMM
VRENS TOTVS ARDEAM I
TVI AMORIS DVLCEDINI
Med.cap.35.

Vive lux mea, vive, teq; amemus
Æternùm, & ſine fine perfruamur

Ti

Tuis ignibus, oſculiſq; ſanctis.
Qui te deperit impotente flammâ,
Qui te plus proprijs amat medullis,
Illi gaudia mille, mille riſus,
Mille baſia caſta, mille luſus,
Et naves veniunt amœnitatum,
Et meſſes veniunt ſuavitatum,
Torrentes ſimul omnium lepôrum.
Vive, Lux mea, vive, meq; caſtis
Adure ampliùs, ampliuſque flammis:
Non illis, Paphiæ quibus puellæ,
Aut turpes Cnidij gregis miniſtri
Ardent, aut Veneres, Cupidinéſve.
Non illis, mea Lux, ſed & pudicis,
Nec cœlo niſi flammulis petitis,
Et tuis modò cognitis miniſtris.
Vive, Lux mea, vive, meque caſtis,
Adure ampliùs, ampliuſque flammis;
Multò purior, acriorque flamma
Totas ut penitùs coquat medullas,
Et te perditè amem, atque amare porrò
Omnes perditius queam per annos.
Nam tu ſpes mea, tu virentis ævi
Ardor ſummus es, atque ſummus ardor
Idem mox eris occidentis ævi,

Meum delicium, mei lepôres,
Fac cùm lux brevis hæc peribit, & nox
Longùm venerit una dormienda,
Tam ſanctos, niveoſq́ue, virgineſq́ue,
Non ſinas tumulo recondi Amores:
Ne quos nulla Venus, Cupido nullus,
Non Salacia, non protervus Hymen,
Non riſu Iocus ipſe læſit ullo,
Fœdâ compoſiti ſpecu putreſcant.
Aſtrorum potiùs favente turmâ,
Aurigantibus hinc & hinc puellis,
Caſtis floridulis, comatuliſq́ue,
Momento tua juſſa qui faceſſunt,
Illos inſere non ſeverus aſtris,
Et ſcribi ordinibus, jube, Deorum.
Vive, Lux mea, vive, teq́ue dona
Plus & plus oculis amemus iſtis,
Et tuis ſine fine perfruamur
Sanctis ignibus, oſculiſque ſanctis.

Dulcis CHRISTE, bone IESU, Deus me accende me totum igne tuo; ut totus d cedine amoris tui plenus, totus flam charitatis tuæ ſuccenſus diligam te DE meum, ex toto corde meo, haben in corde, in ore, & præ oculis meis ſe

per, & ubique, ita ut nullus pateat in me locus adulterinis amoribus. *Med. c.* 35.

O bone JESU, quò tua deſcendit humilitas? quò tua flagravit charitas? Ego iniquè egi, tu pœnâ mulctaris: Ego ſuperbivi, tu humiliaris; Ego fruor delicijs, tu laniaris clavis: Ego pomi dulcedinem, tu fellis guſtas amaritudinem. O bone JESU, quò tua excrevit benignitas? *Med. c.* 7.

O! ignis, qui ſemper ardes, & numquàm extingueris, ô! Amor, qui ſemper ferves, & numquàm tepeſcis, accende me. *Sol. c.* 19.



Tua scientia inenarrabilis explicari non poteſt, quoniam verè indicibilis es. Med. c. 29.

XXIII.

Tua ſcientia inenarrabilis explicari non poteſt, quoniam verè indicibilis es. *Med. cap.* 29.

T*Heíologa* Pater *exhauſtus, fractuſq́ paleſtrâ,*
Dum Triados vaſtas mente volutat opes,
Liquit opus, ſerâ fumoſus lampade, longâ
Exanguis fermè, deficienſque morâ.
Cynthia jam tacitum peragrârat lucida curſum,
Iam croceis cœlo Lucifer ibat equis;
Cum feſſus, ſtudiiſq́ nimis vehementibus æger,
Muſeum moſſo deſerit ungue ſuum,
Mons erat hîc alto protenſus in aëra dorſo,
A Centum-Cellis non procul urbe iacens.
Mons ingens, avibuſq́ feriſq́ rapacibus hoſpes,
Quo gravis irati frangitur unda maris.
Multa Pater *volvens hac dum ſpatiatur in ora,*
Et ſepelit curas, aura marina, graves.
Ecce Puer *maris in ripâ, cui lactea cervix,*
Viciſſent violas lumina, labra roſas:
Diſpoſitis illi veſtis pulcherrima gemmis,
Ebria Sidonio quæ fuit antè cado.

Et capiti virides gemmæ, virideſque pyropi,
Et colle è medio, lecta coralla, mari.
Vel ſimilis, vel adhuc longè formoſior illo,
Qui Cypriâ natus ſingitur eſſe Deâ.
Parvulus hic ſudore madens, infundere parvu
In puteum cunctas fortè parabat aquas.
Res ſuperanſq; fidẽ, multo quoq; digna cachinn
In parvam Oceanum ponere velle, ſcrobem.
Quem Patritiades *ſpectans ita ſubſtitit, angı*
Vt ſiſtit viſo, grande, viator iter.
Ire tamen libuit, cauſſamq; requirere facti;
Nam res inſoliti plena ſtuporis erat.
Ac prior, heus, mi mellee pupule, dà bone; clama
Vnde, quis, & ſtudio ſudor hic unde tuo?
Subridens leni formoſulus ille labello,
Ipſe vides, ſtudij quod mare cauſſa mei,
Si placet, hæc oculis metire volumina ponti,
Cæruleus quantas Nereus undet aquas:
Accipiet locus hic omnes quas proſpicis undas,
Et quas ulterius mente videre potes.
Hoc opus, hic labor eſt: riſit Pater *optimus illi,*
Mirans ſollertem pectore deſidiem.
Namq; videbat uti cumulos properabat aquarũ
Hoc minimo fervens intumulare ſpecu.
Cui videt Hybla parẽ, cũ corpora luce carentûm
Non procul à tecto, ſedula condit apis.

Irrequie

Irrequies tamen urget opus, properatq; ruitq;
Exhaurire cavâ, cærula vaſta, manu.
Vt Pater *hæc multo vidit digniſſima riſu,*
Increpuit ſtudium talibus indè modis.
Næ, mi pupe, operam perdis; quî foſſula tantas
Oceani capiat, ne digitalis, aquas?
Hoc eſt velle polum longo quaſi findere ferro,
Et plenum æquoreis piſcibus eſſe ſolum.
Quare parce tuis, mi belle, laboribus; iſta
Eſt humeris moles non capienda tuis.
In caput antè ſuas regeret Tagus *auriferundas;*
Sol noctem faciet, Heſperus *ipſe diem:*
Lucidus antè nigro miſcebitur axis Averno,
Et ſeges in medio creſcet opima mari;
Quàm pelagus (liquet id, mi mellitiſſime cunctis)
Hæc unquàm clauſum videris eſſe ſpecu.
Dixerat; ille tamen penſum quod cœperat antè
Vrgebat magnâ ſedulitate ſuum.
Tum quaſi commoto vultu ſe ſuſtulit, atque
Hos pulchro cecinit dulciter ore ſonos.
Das vitio, Pater, *& ſtudium, te iudice, noſtrum*
Deſipit, at nugis non malà cauſſa meis.
Si præbere reo facilem mihi comiter aurem
Non piget, hoc multùm ſaxo probabis opus.
Nam quod ſtultitiæ falſo me crimine carpis,
Huius te dicam criminis eſſe reum.

Quis te ſcribendi modus inſanabilis urget,
Macrum omni quod te Delia nocte videt?
Vis tenui, credo, vaſtum mare currere limbo,
Noctua vis clarum prendere cæca diem.
Strenua proh! quàm te malè vexat inertia, ni
Aurea dum ſimili plumbeus aſtra petis.
Quid facias, tacitâ tecum circumſpice mente
Exitus his quondam non bonus eſſe poteſt.
Dum petit infirmis nimiùm ſublimia pennis
Icarus, Icarijs nomina fecit aquis.
Hæc te, ſi verſas animo benè fabula tangit;
Hiſtorijs vera eſt omnibus illa magis.
Ne puerum, torvâ ne me precor aſpice fronte:
Et Deus in parvis rebus ineſſe poteſt.
Vivaci nunquàm penetrabis acumine mentis
Horrendæ Triados tam citò grande iubar;
Quàm mare, quàm piſces ſcrobs tantula ſorbe
omnes,
Et ſicco ſedeant pinea texta freto.
Crede mihi, non tam citus æthere labitur imbe
Aut ſtupam arentem devorat ignis edax,
Quàm dicto citius puteo claudentur in iſto
Oceani innumeræ, Nereidumque domus.
Quod te ergò cacoëthes habet? quô concitus œſt
Tam parvis tentas iſta ſtupenda modis?
Non ſi Smyrna ſuas lauros, & Mantua don
Non ſi Cælituum Pallade plenus eas.

Digna canes, jeiuna nimis tua barbitos, omne
Hîc fide, & arguto pollice mutit ebur.
Sors tua mortalis, non eſt mortale quod optas:
Grandia propoſiti contrahe frena tui.
Hæc ubi dicta, polum petijt pernicibus alis;
Candidior Phœbo, qua volat, aura fuit.
Hac Pater *& novitate rei, monſtriſque Deorum*
Elinguis, muto reppetit ore larem;
Admirans verniq́ue roſas, & lilia vultus,
Attonitoq́ue ſtupens pectore grande ſophos.

Hujus myſterij immenſam profunditatem mens humana concipere non poteſt; nec oratoria lingua enarrare, neq́ue diffuſi ſermones, nec bibliothecarum volumina queunt explicare. *Med. c. 29.*

Credimus te eſſe aliquid, quò nihil majus, aut melius poſſit cogitari: *Man. c. 32.*

Infelix homo qui ſcit illa omnia, te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. 5. *Conf. c.* 4.

Immenſitas divinæ magnitudinis tuæ iſta eſt ut intelligamus te intra omnia, ſed non in-

extra omnia, ſed non excluſum. *Med. c.* 30.

Nonne tu es Deus abſconditus, & im perſcrutabilis majeſtatis, ſolus tui ipſiu maximus cognitor, & mirabilis contempla tor? *Sol. c.* 33.

Imperſcrutabiliter habitas in teipſo, ub lux inacceſſibilis, & lumen imperſcrutabile & inenarrabile, ad quod non attingit aliquo lumen. *Sol. c.* 31.

NEMINEM ABIICIS, NEMI NEM PERHORRESCIS, NIS FORTE QVI AMENS TE EX HORRVERIT. Med. c. 2.

CÆlo potentem ſi timeas Deum, &
Intaminatis, quæ ſieri iubet,
Secreta templis, non probando
Horrueris temerare ritu;
Naſcente Phœbo, ſi ſceleris manus
Puras levaris, nec fera, cum locus
Et hoſtis adſunt, te furentem
In medias trahat ira cædes;

Bacc

Baccis onuſta, gratus eris Deo,
In morem olivæ, quæ dominum capit,
Ditatque proventu beato,
Sole dies referente ſiccos.
Nec rebus arctis te facilis Deus
Vnquàm reliquet, nec tibi ſupplici
Adferre ceſſabit benignam
Promptus opem, placidoſque curſus.
Dextro ille vitam permeat alite,
Nuſquàm labantem ducere qui poteſt
Per ſaxa, per rupes acutas
Vel minimâ ſine clade, puppem.
Qui fixus aſtris, nec rabiem noti,
Nec vim procellarum æquore fervido
Deprælantiûm curat, omnes
Sed ſapiens ſuper alta ſenſus,
Cunctamque mentis ſollicitudinem
Vnum reponit providus in Deum;
Quô lucidum monſtrante vultum
Ira poli cadit, ira ponti.
Quin & morantes nos ter & amplius
Invitat ad ſe, ne labor, aut metus
Gradi volentes ad potentûm
Detineant ſacra iuſſa Divûm.
Venite, clamat, gens nimio gravis
Pridem veterno, protinus horridam

Molem-

Molemque, ſarcinaſque grandes
Ipſe humeris relevabo veſtris.
Venite, longis gens nimium diu
Exſucca morbis, impiger abditi
Pulſabo vim morbi, neque ultrà
Cæca ſinam furiare fata.
Me nemo, Titan quà fluitantibus
Equos ſub undis occiduos lavat,
Et quà renaſcentem ſuperbus
Purpureo trahit ore currum,
Veſtræ ſalutis eſt ſitientior;
Donare ſuetus plus vice ſimplici,
Dicto ocyus, mentis probroſæ
Peſtiferas nimis, heu! ruinas.

Deus meus, cornu ſalutis meæ, revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem. *Med. c.* 2.

Salvator noſter caput inclinavit in morte, ut oſcula daret ſuis dilectis. Toties Deum oſculamur, quoties in ejus amore compungimur. *Man. c.* 23.

Spes

Spes humani generis, Christe, cujus lumen inter caliginoſas procellas, quaſi ſtella maris, oculos noſtros irradiat, guberna navem noſtram clavo Crucis tuæ, ne nos demergat tempeſtas aquæ. *Sol. c.* 35.

Miſericordiæ Domini multæ, quantò ille potentior eſt ad ſalvandum, tantò ego ſum ſecurior. *Man. c.* 22.

Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis confige timore tuo carnes meas, quatenùs quæ minaris metuendo evadam, & redde mihi lætitiam ſalutaris tui, ut quæ ſpondes diligendo percipiam. *Med. c.* 2.



Cor humanum in desiderio æternitatis non fixum, nunquam ſtabile poteſt eſſe. S. Aug. Med. c. 25.

XXIV.

Cor humanum in deſiderio æternitatis non fixum, numquam ſtabile poteſt eſſe. *Man. c.* 15.

QVi pacem ſtabilem, dieſque puros,
Qui mentis requiem cupis perennem,
Nequidquàm trabeam, ſacroſq; faſces,
Gazas, & meritas cruore lauros,
Et tinctas Tyrio togas veneno
Venaris miſer, & deoſcularis;
Nequidquàm dominæ tuæ lepôres,
Formam, cæſariem, genas, & ora,
Et flexos varijs modis capillos
Laudas, & gemis, & ſtupente mundo
Iſtas ore canis, lyraq; nugas.
Nam nec promeritæ cruore lauri,
Nec blandi dominæ tuæ lepôres
Dabunt, & nebulis dies remotis,
Et menti requiem beatiorem.
Ingeſto tua creſcit arca nummo?
Nigras Autolyci verêre dextras,
Fortunæ tibi vel rotam novercæ.
Regi proximus ambulas, ſuperbo

Tumens

Tumens ſyrmate, liberas per urbes?
Quò te blanda magis levavit aura,
Hoc magis volucrem verêre caſum.
Nil fixum, nihil his tenaxq́ue terris.
Non ſic in medio carina ponto
Ventorum furias tumultuantûm,
Et ſævi trifidos Iovis furores
Recens paſſa labat, ruitq́ue in omnes,
Nauclero ſine dirigente, partes:
Quàm cor innumero rotatur æſtu,
Quàm cor innumero feritur ictu,
Inconſtans magè Proteo, vel ipſis
Inconſtans folijs magis caducis.
Fulvum Iupiter, in ſinu, metallum
Quod fudit Danaës, tibi refundat:
Quod tangis pretium Midæ cöæquet,
Tethys utraq́ue te paveſcat unum,
Miſer ſemper eris, tuoq́ue plures
Lictores animo fovêre perges,
Quò ſortem tibi plus favêre credes.

Beatam vitam quæritis in regione mort[is,] non eſt illic. Quomodo enim beata vita, [u]bi nec vita? 4. *Conf. c.* 12.

In his caducis, & tranſitorijs, in quibus animæ affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet: quoniam tantæ eſt dignitatis, ut nullum bonum præter ſummum bonum ei ſufficere poſſit. *Man. c.* 25.

Quando anima te habet, plenum eſt deſiderium ejus, & jam nihil aliud quod deſideret exterius reſtat. *Sol. c.* 30.

Cùm enim ſis ſummum, & omne bonum, non habet quod deſideret amplius, ſed poſſidet te omne bonum. *Ibid.*

O MISERA SORS HOMINIS, CVM HOC PERDIDIT AD QVOD FACTVS EST, ET INVENIT MISERIAM AD QVAM FACTVS NON EST. Man. c. 31.

ADdita jam fuerat vaſto manus ultima cœlo,
Terraque jam plenis tota virebat agris.

Cum

Cum Deus impoſuit modò quem formar
Adâmum,
Fons ubi quadrifidas volvit amœnus aquas.
Ille operum finis, tanti decus ille laboris,
Hoc poterat fauſtos ducere in orbe dies.
Quidquid enim pontus, quidquid vaſtiſſim
tellus
Continet, aërio quidquid in orbe fuit,
Subdiderat primo facilis Deus omne parenti;
Muneris hoc magni pondus, & inſtar erat.
Vidiſſes omni poſitâ feritate leones
Sternere ſe domini molliter ante pedes.
Vidiſſes raucis blandiri motibus urſos;
Innocuas coram, ludere, rege tigres.
Nam Deus hunc, cæli & terræ naſcentis origo
Plenum delicijs iuſſerat eſſe locum.
Carpite, mandarat, ſapient quæcumq; palato
Ex facili, quam vos vultis, habete dapem.
Hîc lactis fontes, ibi profluit ebrius amnis;
Hîc pleno currunt deflua mella lacu.
His citrus in ſylvis pandos fert pondere ramos
Iſtis luxuriat Palladis arbor agris.
Deniqúe quidquid in hoc vernat, vivitque vir
Subiectum veſtris uſibus eſſe volo.
Ne tamen ex iſtâ (ſemel hoc, iterumque iube
Arbore, vel primis tangite poma labris.

Illib

Illibata mihi maneat, ſic impero, nam mors
Præſens, & ſcelus eſt vel tetigiſſe ſemel.
Sic magnus fuerat juſto Deus ore locutus,
Indulgens reliquis largiter eſſe bonis.
Lividus hoc rerum fluctu Stygis incola nigra,
Mortifero tectus prodijt angue caput.
Prodijt, & blandis adiens ſermonibus Evam
(Aptior hæc armis pars quia viſa ſuis)
Quis vetat eximios, inquit, decerpere fœtus;
Aureaq; ambobus poma probare labris?
Ah! ferus, & vobis nimiùm crudelis, & hoſtis,
Delicias tales qui malè cumque negat.
Novit enim primis fuerint ubi manſa labellis,
Vos fore conſimiles, tempus in omne, Dijs.
Credite, nil tantis, niſi livor, honoribus obſtat:
Hoc timet, hoc iſtis legibus ille cavet.
Quare ſi veſtris vultis benè credere rebus,
Mandite, quid modicùm mala probaſſe nocet?
Dixerat orator catus hæc, vafer, atque bilinguis:
Et viſus verbis Attica muſa ſuis.
Quid facient? ſolvent magni mandata Tonãtis?
Hinc timor, ex aliâ parte trahebat honor.
Victus honore timor, capiunt tandem arbore fructum:
Hei! mihi quàm multis flebilis ille fuit.

Nam

Vidit, & horribili ſuccenſus crimine, dixit,
Quis membris ſuaſit quærere texta tuis?
Quis vitare meos tantâ formidine vultus?
Ah! ſcelus, ah! generis certa ruina tui.
Hoccîne juſſa Deûm facere eſt? ſervareque leges
Hæc eſt pro meritis gratia habenda meis?
Ocyus (heu! quoties flebunt auſa iſta nepotes)
Ocyus his, inquam, vertite terga locis.
Ite procul lappas inter tribuloſque, feraſque;
Det ſpinas tellus; quæ dedit antè roſas.
Antè poli flammas, ponti numerabitis undas,
Quàm mala, per longos quæ patienda, die
Hæc fuit in noſtros ſententia dicta parentes,
Unum nunc luimus, poſthuma turba, ſcelu

O! dirus, ac durus caſus; perdidit hom beatitudinem ad quam factus eſt, & inven miſeriam, ad quam factus non eſt. Manduca bat tunc homo panem Angelorum quen nunc eſurit; manducat nunc panem dolorun quem tunc neſcivit. *Man.c.*31.

Mundus clamat deficio, tu DOMINE cla mas reficio; & miſeria mea prava mag ſequitur deficientem, quàm reficienten *Sol. c.* 13.

NIHI

NIHIL SINE TE PLACEAT MIHI PRETIOSVM, NIHIL SINE TE MIHI ARRIDEAT SPECIOSVM. Med. c. 7.

Divitias alius plenis ſibi congreget arcis,
Et teneat ſontes, Lydia tota, tuos.
Alter ab Heſperijs aurum petat, alter ab Indis
Gemmas, Eôi quas parit unda maris.
Tecta habitet Phrygijs hic invidioſa columnis,
Seu Nomas alta tuis, ſeu Tyre clara tuis.
Me, mea Lux, vitæ traducas ſemper amanti,
Æthereoque flagret ſemper ab igne jecur.
Sunt quibus unum opus eſt latebroſas quærere (quamvis
Acris hyems rumpat frigore ſaxa) feras.
Multos caſtra juvant, clypeique & fulgidus enſis,
Ipſaque quæ ſomnos, buccina clara fugant.
Hic pretio immenſos haſtā prope comparat agros;
Vt varia innumerâ jugera paſcat ove.
Clarior ut latas alius queat ire per urbes,
Sponte ſuâ, gladijs pectora nuda dabit.
Me mea lux, tua fax rebus ſuper elevat iſtis;
Me ſuperis miſcet tam ſacra flamma choris.

Hîc quod terra tenet, quod vaſtum amplectit
æquor,
Omnia ceu tricas, fractáque vitra tuor.
Nil magè vobiſcũ eſt, Cypriæ, mea crimina, ted.
Caſtior ad ſenſus nunc̄ mihi flamma venit.
Ite procul curæ, veteres procul ite ſodales;
Non facit ad guſtus veſtra ſaliva meos.
Et vos degeneres terræ, loca fœda, valete;
Me nova tecta tenent, me nova cura rapit.
Nil mihi deliciæ, nec quos habet orbis honores;
Nil mihi qui verno multus in ore decor.
Nil Tyriæ veſtes, nil viva corallia, gemmæ
Nil mihi, quæque rubro concha petita mari.
Omnia quæ totis arſi ſine lege medullis,
Ampliùs Hyblæo quæ placuêre mero;
Nunc mihi ſunt nebulæ, nunc ægræ ſomnia mēt
Omnia felle nigro nunc graviora mihi.
Lux mea, te pluſquàm baccata monilia, pluſq
Cunctas demorior, quas colit orbis, opes.
Et Cilicum flores, & quas habet India meſſes,
Nautea ſunt ſenſis, te ſine, pura meis.
O anime, has licitum cùm ſit tibi ſcandere ſed
Dic, tua, dic quali vota feruntur ave?
Sorte tuâ, dic, quis vivat felicior, albi
Cui radient aurâ proſperiore dies?

Macte nimis felix, & ijs age, quod datur, ævum;
Vile tibi nimis eſt, quidquid in orbe nitet.

Vileſcant abſque te mihi omnia, ſordeant univerſa. Quod tibi adverſum eſt, ſit mihi moleſtum, & tuum beneplacitum, mihi indeficiens deſiderium. *Med. cap.7.*

Si placent corpora, DEUM ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent, tu diſpliceas. 4.*Conf. cap.* 11.

Hoc confiteor, hoc ſcio, Domine DEUS meus, quia ubicumque ſum ſine te, malè mihi eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed etiam in me: quia omnis copia quæ non eſt DEUS meus, mihi egeſtas eſt. *Sol.cap.*13.

Habent & hæc ima delectationes, ſed non ſicut DEUS meus, qui es delitiæ rectorum corde. 2. *Conf. c.* 5.



Sub vmbrâ illius quem deſideraui lætus ſedeo, et fructus eius dulcis gutturi meo. Med. c. 25:

XXV.

Sub umbra illius quem deſideravi lætus ſedeo, & fructus ejus dulcis gutturi meo. *Med. c. 25.*

Vivimus, ô Pæan! hinc lacteus effluit imber,
Plaga meas illinc promit hiulca dapes.
Si jaceam, præſtò eſt noſtro medicina dolori;
Si valeam, paſcor vulnere, lacte fruor.
Vexat me maleſana fames? ad vulnera curro;
Torret anhela ſitis pectora? poſco ſinum.
Quas ego delicias avidis hîc ſugo labellis;
Quod datur hinc epulum, quod datur indè merum!
His Latiæ cedunt, his Graiæ fercula menſæ,
Hæc magni præſtant mellea vina Iovis.
Nulla juvant, primis datur hæc ubi tangere labris,
Non quas longè epulas ultimus orbis habet;
Unde redijt quondam mirantibus æquoris undis,
Puppis Phryxææ vellere dives ovis.
Hîc rex ſum, mea Lux, hîc rege beatior omni,
Tantus ineſt epulis guſtus, honoſq; tuis.

Currite lacteoli, mea flumina, currite fontes,
Flumina pectoribus delicioſa meis.
Currite, nam primo Phœbi venientis ab ortu,
Nil vobis tellus dignius ulla tenet.
Occiduis Nereus quà latè regnat ab undis,
Nil vobis uſquàm dulcius æquor habet.
O! pleno quoties hilaraſtis gutture venas;
Cùm niveus tales depluit imber aquas.
O! poto quoties ſatiaſtis ſanguine pectus,
Et ſtupuit tantam mens mea luxuriem.
Purpurei quærant opſonia Perſica reges,
Et Ganimedæâ Cæcuba digna manu;
Oſtrea venentur ſub utroque natantia ponto,
Et quæ diverſo Sole falerna calent.
Hîc cibus, hîc potus meus eſt, hîc nobile nectar,
Hîc plena ambroſijs pabula delicijs.
Quid meliùs? rigat ora Parēs, dat vulnera Natus
Hic ultrò pectus porrigit, illa ſinum.
Quò me cumq; traho, ſequitur me teſſera amoris;
Quò me cumq; fero, ſymbola amoris eunt.
Hac liceat ſtatione mori, ſin vivere detur,
Excubias pernox hac ſtatione traham.
Non benè conſortes epulis patiemur in illis;
Nec ſocium reges, nec mea caſtra ferunt.
Rivalem procul hinc, procul hinc arcebimus hoſtē
Ne clepat hic latices, ne clepat ille dapes.

Lux

Lux mea, te, menſamq́ tuam, mea gaudia teſtor,
Et quodcumque tuo dulcis in ore meri eſt.
Has epulas, hos ſubducet mihi nullus amores,
Ævum ſed vincent, funus & iſta meum.
Nam fio æternus, fio immortalis in illis;
Lance unâ hic quivis indiges eſſe poteſt.

Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, inebria cor meum ſobriâ ebrietate amoris tui, ut oblivifcar quæ vana ſunt, & terrena, & te ſolum jugiter habeam in meâ memoriâ. *Med. c. 37.*

Dulcis CHRISTE, bone IESU, reſplende mihi, accende me, illumina, & ſanctifica vas tuum, ut ad ſalutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te vivam de te, vivam per te, perveniam ad te, & repauſem in te. *Man. c. 6.*

Felix anima, quæ terreno reſoluta carcere libera cælum petit; inebriata enim ab ubertate domus tuæ torrente voluptatis tuæ potas eam. *Man. c. 6.*

MVLTI, ET MAGNI SVNT LANGVORES MEI, SED AMPLIOR EST MEDICINA TVA. 10. Confeſſ. cap. 43.

*Q*Vò feror? incertum quis me ſic avocat æſtus?
En pereo in medijs, Tantalus alter, aquis.
Hinc mihi vina fluũt, hinc lactea flumina, & illa
Dulcia ſunt animo, nec minus illa meo.
Delicias nec libo meas; quid ſannio rides,
Et danda hellebori jugera plura refers?
Ardeo tam ſuaves epulas, ſed ſubtrahit horror,
Objectans remoram ſenſibus uſque meis.
Ibo tamen, timidæ laxabo repagula frontis,
Ibo meis ſuccum quærere, melq; labris.
Pande, canam, roſeos, IESU, *tua viſcera, fontes;*
Mellifluumq; mihi pande, MARIA, *ſinum.*
Viſcera ſacra tument, ſed & ubera lactea turgẽt,
Illa dapes nobis, hæc bona vina dabunt.
Fallimur, an coſtis magno torrente merâcum,
Fallimur, an mammis lympida vena fluit?
Ecquis, iô, noſtras reficit, ſatiatque medullas?
Arida quis vino recreat ora ſacro?
Me propè deſpumat roſeis vindemia coſtis,
Me propè virginei flumina lactis eunt.

Quò

Quò vadam? ſapit hoc noſtro, ſapit illa palato,
Copia me tantas diſtrahit inter opes.
Neſcio quâ cremor ille tamen dulcedine pectus
Pellicit, & roſeo me magè fonte trahit.
Et Virgo *teneris blandùm ſubridet ocellis,*
Et fontes laxat, mellea tota, ſuos.
Ergo nivem liquidam, niveum prenſabo Lyæum
Hoc moribunda ruam perditus ora mero.
O! furiæ, ô! triſtes animi ceſſate querelæ,
Dum curas ſepelit, gemmea lympha, meas.
Adiuro te triſtis hiems, adiuroq́ venti,
Æmula ne tantis obſtrepat aura bonis.
Tuq́ue diu Titan, tardoq́ue allabere curru,
Si noſtras cernis non inimicus opes.
Alipedos ceſſa ſtimulo properare caballos;
Puncta, voluptati, paucula trade, meæ.
Iam plenis hauſi dulciſſima pocula venis,
Totaq́ue jam vegeto corpore fibra ſalit.
Purpureus tamen imber adhuc me pellicit, & ſe
Vt guſtem, multis me vocat usq́ue modis.
Dij ſuperi, quis me felicior? ecce pudoris
Vix ſum lacte ſatur, cùm nova meſſis adeſt.
O Amor, ô & vita meæ certiſſima vitæ,
Fax etiam in gelido viva futura ſpecu.
Magne Deus, *tenuem promas è pectore guttam;*
Quid tota erumpunt flumina? gutta ſat eſt.

Non peto ſanguineũ cordis mare, non peto magni
Pectoris effluvium nobile, gutta ſat eſt.
Ah! ſi gutta meo ſedeat vel parva palato,
Tam magno ſi me, ſidera, rore beent;
Ilicet exſultim curram, ſaliamque, canamque,
Donec, depoſito corpore, ſunus ero.

Multùm eſt quod mea moretur impietas, longè autem majus quod Redemptoris mei repoſcit iure pietas. Magna eſt mea injuſtitia, major Redemptoris juſtitia. *Med. c.* 8.

Vulnera Jesu Christi plena ſunt miſericordiâ, plena pietate, plena dulcedine, & charitate. Per has rimas licet mihi guſtare quàm ſuavis eſt Dominus Deus meus, quoniam reverà ſuavis, & mitis & multæ miſericordiæ eſt omnibus eum invocantibus in veritate. *Man. c.* 21.

In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi. In illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus. *Man. c.* 22.

NEC

NEC DONA TVA DESERAS, NEC HERBAM SPERNAS SITIENTEM TE. 11. Conf. c. 2.

Eſſe quid hoc dicam, toties quod verſus aratro,
Nil præter ſpinas undique fundit ager?
Sperabam poſt tot brumæ, verisq; labores,
Quos algente polo, quosque calente tuli.
Copia, quod pleno diſtenderet horrea, cornu,
Nec caperet meſſes area vaſta meas.
Nunc ſpe deſtituor, redeunt neq; ſegnibus arvis,
Credidimus plenâ, quæ ſata plura, manu.
Maturas nuper, calidi cùm ſideris æſtu
Ponere debebat terra peruſta, comas;
Vidi, ſancta Ceres, an ſpes eluderet omnes;
In varijs eſſet culmus an ullus agris:
Seu culpâ ſtat ſcabræ rubiginis iſtud,
Seu vitio cæli langueat omnis ager.
Quaquà versùm oculos potui deducere, ſolùm
Carduus, & lolium tollere viſa caput.
Et lappæ, & tribuli campo dominantur inerti;
Illa ſeges noſtro nata labore fuit.
Hei! mihi quî potero rebus ſic quaſſus acerbis,
Longam, quâ morior, nunc ſatiare famem.

Nulla domi Cereris cui copia, nulla Lyæi,
Arida cùm longâ ſint tamen ora morâ.
Saltem Dodonæ nigris extenſus in antris,
Si poſſem quernâ pellere glande famem:
Si poſſem vulſis aliquot radicibus, iſto
Heu! infelici membra levare modo;
Aut ſi quas primis tribuit mortalibus herbas
Terra, prius quàm lux hæc eat alma, daret:
Et virides eſſent epulum quaſi dentibus herbæ,
Altaq́ magnificas quercus haberet opes.
Paucaq́ ſperarem ſic tempora ducere vitæ,
Nec tam immaturæ mortis adire fores.
Hoc quoq́ ſed deſit, neq́ fas mihi dicerre, poſſi
Latrantis ſtomachi quò ſatiare malum.
Naſcenti nunquid ſcripſerunt iſta Sorores,
Verterunt triplices hæc mihi fila colus.
Magne DEUS, *ſine quo nullus valet ætheris or*
Cernere, conceſſum linquere nemo diem:
Si te cura mei, ſi te movet, optime, pridem
Qui tuus in noſtro pectore flagrat amor.
Fœtificis ſtilla dulces è nubibus imbres,
Clauſtraque ſint aliquo fac ut aperta polo.
Aſpice quos omni verſamus tempore fletus,
Nec duram noſtris vocibus obde forem.
Blande veni, Zephyroſq́ vocãs, genitalia ab a
Nube gravis pluviâ, ſemina funde polo.

Vo

Vota valent, cornu fundunt ſe divite campi,
Crinitiſque Ceres fluctuat omnis agris.
Vndique iam manant laxo quaſi gurgite rivi;
Vndique jam fervent pinguia vina lacu.
At tam magna, DEUS, *ne deſere dona, nec unquam,*
Claude tuum ſitiet cum levis herba polum.
Dona feram, ſpicas, & mellea liba, quotannis;
Ante tuas & erit multa corolla fores.

Quid ſum cùm mihi benè eſt, niſi ſugens lac tuum, aut fruens te cibo qui non corrumpitur? 4. *Conf. c.* 1.

Heu! me, ubi ſum, & ubi non ſum? Quæſivi bona, & ecce turbatio. Ecce jam morior, & JESUS non eſt mecum. Et certè melius eſt mihi non eſſe, quàm ſine JESU eſſe. Melius eſt non vivere, quàm vivere ſine vitâ. *Med. cap.* 39.

O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas, tu es DEUS meus, tibi ſuſpiro die ac nocte, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire deſidero. *Med. c.* 35.



Inimicus noſter tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, et omnes vias noſtras varijs repleuit decipulis. Sol. c.16.

XXVI.

Inimicus noſter tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras variis replevit decipulis. *Sol. c. 16.*

Hei! mihi quàm varijs trames ſcatet iſte periclis;
Et tamen hæc cogor, per loca, ferre gradum.
Cyprius innumeros ubi caſſes abdidit auceps,
Abdidit innumeras, Cypria mœcha, plagas.
Promittunt equidem ſuaves venientibus eſcas;
Sed captos miris mactat uterque modis.
Si brevis in toto callis foret unicus orbe,
Quo regerem rectos, & ſine fraude, pedes.
Ocius hàc peterem properanter limina cæli;
Limina tot votis, tamque petita meis.
Aſt aliam (ſic ſunt vitæ nigra tempora) donant
Non mare, non amnes, non mihi terra viam.
Inſidijs nam cuncta ſcatent, ſeu denique terram,
Seu freta proſpectu metior ipſa meo.
Præſtaret ſævis prædonum cingier armis,
Montanas, avido paſcere dente, lupas;

Quàm

Quàm ſemel involvi tranſennis turpiter iſtis,
Quas multo celant, turba maligna, dolo.
Mitius eſt illis ſiquidem genus omne ferarum;
Prædonum, Papiâ, mitior ira, manu.
Tragula quàm multos hæc illaqueavit Amãtes,
Quàm multos, largo qui crepuêre mero:
Si tenui fortaſſe velis percurrere verſu,
Ilias eſt charta magna futura tuæ.
Hîc miſer, heu! quondam captus Leandre periſti
Cùm foret ante oculos, Seſta puella, tuos.
Hîc Pari, Sigææ gelidis in vallibus Idæ,
Aſtrinxit laqueo te, Cytherea, ſuo.
Quare me tantæ fixum æſt non credere fraudi;
Quò plus artis ineſt, hoc magè cautus ero.
Antè caput noſtrâ cadet à cervice revulſum;
Quàm te, proſtibuli turpis alumna, ſequar.
Exſangues lethale gelu prius ibit in artus,
Quàm me divitijs ludere, munde, queas.
Carior, & multô vita pretioſior aura eſt;
Quâ ſemel extinctâ, poſteà nulla redit.
Si tamen hos inter debemus tendere caſſes,
Qui petimus patrij mœnia clara poli.
O bone Dux vitæ, mea Lux, bone mentis Achate
Occultas aperi, te praeunte, vias.
Te ſine Cimmerio fuſcat Styx omnia velo;
Decipulasque tegit, cauta Volupta, ſuas.

Pand

Pande, precor, fraudes, & tecta pericula; magnos
Sic Superos inter, pars bona ſemper agas.

Inſtat adverſarius ubique ſpargens laqueos, ut nos ſui ſimiles factos ſecum habeat, non ad concordiam charitatis, ſed ad conſortium ſupplicij. 10. *Conf. c.* 36.

Ecce DOMINE DEUS meus, mundus totus plenus eſt concupiſcentiarum laqueis, quos paraverunt pedibus meis, & quis effugiet hos laqueos? *Sol. c.* 12.

Venit tentator tenebroſus, ut eſt, & ut eum deſpicerem, tu me confortaſti. Venit tentator armatus, & fortis, & ut me non vinceret, tu eum refrenaſti, & me roboraſti. *Sol. cap.* 16.

Inimicus ut occidat, ſemper vigilat ſine ſomno, & nos ut cuſtodiamus nos nolumus evigilare à ſomno? *Sol. c.* 16.

In his tentationibus poſitus certo quotidie adverſus concupiſcentiam, & quis eſt, DOMINE, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas neceſſitatis. *Conf. c.* 32.

PER-

PERDIT QVOD VIVIT, QVI T[...] DEVM NON DILIGIT. Ma[...] cap. 14.

Vides, ut atri fulminis in modum
Labatur ætas, utque citum diem
Trudat dies, pellatq; noctem
Nox tacito properata paſſu?
Alata non ſic tela Iovis cadunt,
Non ſic meatus per liquidos poli
Aut haſta ſtridens, aut lacerto
Pulſa volat Scythico ſagitta.
Longâ quid ergo mollis inertiâ, &
Gravi veterno torpidus, optimos
Vitæ fugacis tam nocenter
Vſq; dies ſinis avolare?
Et mente brutâ plenus, & ebrius
Caput veratro eſt, qui cariem ultimæ
Ætatis, & fæcem caduci
Temporis ingenuæ reſervat
Menti offerendam: polline, Cypriam
Iuventa placet, decrepitos, ait,
Senecta cùm vellet capillos,
Furfure tunc faciemus aſtris.

lh! inſolentis nequitiæ virum:
'racto quid ævo deniq́ colliges
Præter laborantes acutis
Articulos, ſtomachumq́ morbis?
Nunc eſt agendum, nunc prece fervidâ
'ulſandus æther, nunc locus, & tuæ
Tempus ſaluti, dum virenti
Canities procul eſt moroſa,
:t ſanguis imis floret in oſſibus
ntaminatus. Quid reſidem tenet,
Luditq́ mentem? certa nunquàm
Hora homini reditura tranſit.
)lim exolêto ſi veniat tibi
Ætas, citato quæ properat pede,
Auſu virili tum valebis
Æthereas reſerare nubes?
Iac arte nullus ſidereas petît
nnixus arces, nullus adoreâ
Vdos coronatus capillos
Exitialem Acheronta fugit.
Capax laborum, quam teris, area eſt,
Nunc hora palmæ, nunc meriti locus;
It vita, quid morare? magnum eſt
Quæ fluit hora, diesque lucrum.

Diligo te, Deus Meus ſuper cælum, & terram, & cetera omnia quæ in eis ſunt. Am te amore magno, magiſque te amare cupio *Med. c.* 35.

Ob hoc anima mea, Domine, non diligit, quia non te cognoſcit; & te ide non cognoſcit, quia non intelligit; & idcirc non intelligit, quia lumen tuum non compre hendit, & lux in tenebris lucet, & tenebr eam non comprehenderunt. *Sol. c.* 1.

Qui diligit, oculos ſemper habet ad Deum quem diligit, quem deſiderat, in quo medit tur, in quo delectatur, in quo paſcitur, quo impinguatur. *Man. c.* 19.

Totis medullis cordis, toto niſu ment rogo te, omnipotens Pater, trahe me quatenùs poſt te curram in odorem ungue torum tuorum dulciter. *Med. c.* 4.

Requieſcat in te, Deus meus, anima me contempletur te in mentis exceſſu, cante laudes tuas in iubilatione; & hæc ſit in h exilio meo conſolatio tui. *Man. c.* 4.

I

BI DABIS MIHI VBERA, IBI SATIABIS ME SATIETATE MIRIFICA, ITA VT NEC ESVRIAM NEC SITIAM IN ÆTERNVM. Med.c.25.

QValis lux erit illa, Magne Divûm,
Quàm dulces epulæ, toruſque dulcis,
ùm te ſtringere fortibus lacertis,
unctim plus ederis licebit; iſtam
ùm transfundere pendulis labellis
ſte, Lux, animam juvabit omnem,
t tàm dulcibus ignibus perire,
t tam ſuavibus oſculis moriri!
ualis lux erit illa, Magne Divûm,
ùm poſt gaudia mille, mille rurſum,
t dein altera mille gaudiorum;
t poſt altera mille, mille rurſum,
t vultus, ſimul & genas, & ora
ra, quæ mihi dulciora vino,
enas, quæ mihi melle ſuaviores,
ultus, qui mihi ſole clariores,
idebo geminis meis ocellis?

Cum

Cùm collum roſeo cruore plenum,
Et latus, fera quod reſolvit haſta
Exſugam geminis meis labellis?
Sacro purpureas liquore plantas,
Manantes medico cruore dextras
Pernox, perdius, & magis magiſque
Amplectar geminis meis lacertis?
Vt totum oribus imbibens Tonantem,
Tuas cordibus imbibenſq; flammas,
Caſtas, ô! bone, virgineſque flammas,
Tecum vivere, tecum abire, tecum
(Quò me cumque voles habere) poſſim
Æternùm, Iove dextero, manere
(Audiat polus hæc) comes per ævum.
Qualis Lux erit illa, Magne Divûm!

Libet in te oculos attollere, libet d loqui, de te audire, de te conferre; de beatitudine, & gloriâ quotidie legere, & cta ſæpiùs corde revolvere, ut poſſim tuæ vitalis auræ dulci refrigerio tranſire in ſinu tuo feſſum caput paululùm reclin *Med.c.22.*

Mater Ieruſalem, civitas ſa

:i chariſſima ſponſa Chriſti, te amat cor um, pulchritudinem tuam nimiùm deſi- rat mens mea. O! quàm decora, quàm riosa, quàm generoſa tu es. *Med. c.* 25.

Sancti tui replentur ab ubertate domus e, & torrente voluptatis tuæ potas eos; oniam tu es fons vitæ, & in lumine tuo nnes vident lumen. *Med. c.* 37.

Tene, & aſſume ſpiritum meum, ut te ce aſcendat in illam regionem ubertatis, i paſcis Iſraël in æternum pabulo veritatis. *ed. c.* 37.

XXV.



O Amor qui ſemper ardes, et nunquã extingueris, accende me totum igne tuo. S. Aug. Man. c. 10.

XXVII.

O amor qui ſemper ardes, & numquam extingueris, accende me totum igne tuo, *Man.c.* 10.

Non peto Mygdonijs mea ſit domus alta columnis,
Effuſo madeat, grandis ut aula, mero.
Non peto Phæacas ſuperent viridaria ſylvas,
Alcinöi felix ut mihi vernet ager.
Non peto Perſarum theſauros, non peto arenas
Gemmifer Inde tuas, aurifer Herme tuas;
Hoc unum, pulchro ſeu Sol me ſpectat ocello,
Seu pernox tacitos Cynthia ducit equos,
Flagito, Seraphicis caleant mea pectora flammis,
Pectora Biſtoniâ frigidiora nive.
Ah! magnos quoties, iſtis dum tabeo curis,
Procubui, totis noctibus, ante Deos.
Æmulus electro, nitroque ſimillimus amnis
Labitur inflexo, prata per uda pede.
Quem ſupra myrtus protendit plurima ramos,
Cætera florigero, gramine terra viret.

Non

Non ſemel hîc, magno perfuſus pectora fletu,
Quid votis, dixi, poſſet obeſſe meis?
Quæ deſiderijs ſunt iſta repagula noſtris;
Quæ fortuna precor, quod mihi crimen obe
An quod amore vaco? vel ſi calor æſtuat intus
Languida, permodico, vena, calore ſalit
Hoc reor, æthereo quærit quia lapſus Olympo,
Non niſi flammivomas, Spiritus ille, fib
Nunc quia colluvie ſcelerũ mea pectora fœten
Cænoſum Deus hic horret adire locum.
Sol novus auratum quoties caput extulit und
Arbor, & herba novis ignibus uſta virent.
Et glacie, & niveis durata cacumina cruſtis,
Continuò Zephyro dulcè calente fluunt.
Tum terram tepidis fœcundat amoribus æther
Cunctáque fœtificis rura maritat aquis.
Nos autem nullis dignantur ſidera flammis;
Sic vitæ lex eſt triſtis, & atra meæ.
O Amor, arſiſti rutilâ qui lampade ſemper,
Nec meta eſt faculis, quam vereâre tuis.
Sancte veni, duraſque nives, & frigora ſolve,
Inſtar quæ rigidi marmoris, oſſa tenent.
Accelera auratis pulcher per colla capillis,
Et porta tedas ad mea vota tuas:
Vt tandem in noſtro radient ita pectore flamm
Ceu ſolet in veſtro fulgere flamma choro.

Hoc lacrymæ, noſtris uberrima pabula curis,
Hoc gemitus, animi nuntia ſigna, petunt.

O Amor, qui ſemper ferves, & nunquam tepeſcis, accende me! Accendar, inquam, totus à te, ut totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. *Sol.cap.19.*

O Amor, qui ſemper ardes, & nunquàm extingueris, dulcis CHRISTE, bone JESU, accende me totum igne tuo, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flammâ tuæ charitatis vaporatus, diligam te DOMINUM meum dulciſſimum, & pulcherrimum. *Man. cap.*10.

O lux, quæ ſemper luces, & numquam obfuſcaris, illumina me. Ignis ſancte, quàm dulciter ardes, quàm ſecretè luces, quàm deſideranter aduris! væ! ijs qui non ardent ex te. *Sol.cap.34.*

TVTA, ET FIRMA REQVIES PECCATORIBVS IN VVLNERIBVS SALVATORIS. Man. cap.21.

NEmo mihi credet, pede quàm mea vita ſiniſtro,
Ex quo vitali flamine veſcor, eat.
Nondùm veſtibat lanugo Cydonia malas;
Fortia cùm cepi bella movere manu.
Imò (fide majus) veniens genitricis ab alvo,
Alcides geſſi ceu novus, arma, puer.
Qui fuerint hoſtes quæris? nihil acrius illis,
Armis, ingenio, calliditate, dolo.
Nam Venus illecebris, & gazis Plutus, & ipſa
Styx, ſummis in me viribus acta, ruit;
Hactenus ut cautes ſtudui tot frangere motus:
Nunc vires ſuperant hoſtica tela meas.
Aſpice quàm fœdis pateant laniatibus ora;
Dextera quàm multis, lævaque cæſa locis.
Aſpice quàm crebris lacer eſt meus umbo ſagittis;
Et vacat ære caput, & vacat enſe latus.
Area quâ tanti fervent incendia belli,
Si vis me paucis dicere, mundus hic eſt.
Sæpè quidem fuſo palmam portavimus hoſte;
Sæpè dedi victas turpiter ipſe manus.

Si

ſic utrique fuit variabilis alea belli:
Sed mihi Mars viſus dura noverca magis.
Nam patulũ quoties eduximus agmen in æquor,
Adverſóque ſtetit frons inimica viro:
Pœnè Stygis rector (pudet, heu! pudet iſta fateri,)
Pœnè Venus ſemper clara trophæa tulit.
Hîc magnis quondam ſteterunt munimina foſſis,
Præſidium trepido, perfugiúmque mihi.
Claſſica Lethæi quoties ſonuêre manipli,
Et fudère ſuam, caſtra inimica, manum.
Vndique ſed multo tandem ruit ariete vallum;
Vix parvus, qui me protegat, agger adeſt.
Nuper fulgebat primo ſuper æquore Titan,
Egerat & toto ſidera clara polo;
Ferventem è ſpeculâ cùm vidi milite campum,
Et conjuratos in mea fata viros.
Dira quibus facies, flammæ pro lumine, corpus
Grande, pater monſtri talibus Orcus erat.
Tunc ego demiſſis animoque, & turpiter armis.
Hæc dixi non eſt in ſtatione ſalus.
Excedam dum fata ſinunt, nec turpe putabo
Me trepidum caſtris inſinuare novis.
Hæc ubi dicebam, laniati corpore toto,
Ante oculos ſubijt triſtis imago Dei.
Et dixit, quò te luctu ſic perditus effers?
Hîc bonus, oſtendens vulnera, vallus erit.

Innumeri hoc tuti latuerunt aggere, nulla
Spes quibus, auxilio deficiente, fuit.
Aſpice cinxit Amor quàm pectora fortiter, omni
In quibus excubias nocte, dieque gerit.
Hoc igitur te conde loco, nil tutius; iſto
Dormi, nil poſſet mollius eſſe, toro.
Sic ait, abjectumque metu me ſuſtulit illuc,
Hoſtica quà ſacrum diffidit haſta latus.

Extendit REDEMPTOR brachia ſua in cru-ce, & expandit manus ſuas paratus in am-plexus peccatorum. Inter bracchia SAL-VATORIS mei & vivere volo, & mori cu-pio. *Man. cap.*23.

Quidquid ex me mihi deeſt, uſurpo mih ex viſceribus DOMINI mei, quoniam miſeri-cordiæ affluunt: nec deſunt foramina, pe quæ affluant: per foramina corporis, pa-tent mihi arcana cordis. *Man. cap.* 21.

Omnis ſpes, & totius fiduciæ certitud mihi eſt in pretioſo ſanguine ejus, qui effuſu eſt propter nos, & propter noſtram ſalutem *Med. cap.* 14.

NIHI

NIHIL BONVM SINE TE, VERO, SOLO, ET SVMMO BONO. Sol. c.13.

Haud ſecùs ac tendit per inania nubila, versùs
Sydereum, recto tramite, flamma, polum:
Sic gemitus, animiq; mei ſuſpiria, ſedes,
Lux mea, verſus eunt nocte, dieque tuas.
Cardine ſed moto (lacrymis res digna) beatas
Nullus adhuc voluit his aperire fores.
Intrò ſi tantùm ſemel illis ire daretur,
Poſt lacrymas, poſt tot vota, preceſque meas;
Credo aliud facerent, ſtultus quàm fecit Vlyſſes,
Hac in re quis enim ſtultior eſſe queat?
Venerat, ut referunt, ad regia tecta Calypſus,
Multa ſolo paſſus triſtia, multa mari.
Cujus ut illa brevi divinum audivit acumen,
Et linguæ pluſquàm melle fluentis opes;
Hauſit continuò fibris ſitientibus ignes,
Et ſocios; Itachum eſt auſa rogare, toros.
Si tibi Dux, inquit, tecto ſedet hoſpite mecum
Perpetuos, pulchrâ ducere ſorte, dies;
Demã (fas etenim nobis) mortale quod in te eſt;
Nec Stygÿ cernes jura ſuperba fori.

Æternis faciam tua currere tempora penſis,
Æternis annos luxuriare roſis.
Quod ſi fortè petis quæ ſim, tibi talia teſtor
Mirâ quam primùm quæ dare dona manu;
Illa vel illa vide (nam littora diceris hoſpes
Non unquàm regni viſa ſubire mei)
Omnia quæ cernes vaſtis latiſſima campis,
Hæc ſceptro ſubſunt, arva beata, meo.
Hîc ſedes, regnumq́ue mihi; ſi fortè parentum
Nomina, quáve traham tempora ſorte petis:
Sũ Dea, ſum magni Iovis edita ſanguine, majus
Hac aliquid fingi conditione poteſt?
Dixerat hæc, atque his multò majora, ſuavi
Dicere quæ flagrans, ore, jubebat Amor.
Præmia magna quidem, ſed ſpretis omnibus, ille
Maluit ad patrios vertere vela Deos.
Penelope donis potior (quis crederet) iſtis,
Laërteſq́ue ſenex, Telemachuſq́ue fuit.
Ah! malè prudentis dederunt tibi nomen, Vlyſſe,
Multorum hoc liceat dicere, pace, mihi:
Talia qui torvo ſpreviſti munera vultu;
Quis ſapiens uti nam neget hiſce bonis?
Stultè ita non agerem noſtri ſuſpiria cordis,
Sed caperent celeri tam bona dona manu.
O! quoties ſimul aſtra Deum ſimul ore rogavi,
Acciperet gemitus janua aperta meos.

Quod-

Quodq́; Itacho dabat illa, mihi concedere vellent;
Laxa ſed eſt precibus ianua nulla meis.
Lux mea, quid differs toties ſubſcribere votis?
Sydereas tandem pande, benigne, fores.
Pande fores, patuloq́ue ſinu mea ſuſcipe vota,
Et ſuperas ineant, fac ſemel illa domos.
Diſpeream, ſi illis ſubeat deſcendere; forti
Tot bona namq́ue ſciunt eſſe tenenda manu.

Fornicatur anima cùm avertitur abs te, & quærit extra te ea, quæ pura & liquida non invenit, niſi cùm redit ad te. 2. *Conf. c.* 5.

Vivit apud te ſemper bonum noſtrum, & quia inde averſi ſumus, perverſi ſumus. 4. *Conf. c.* 16.

Circuivi vicos, & plateas civitatis hujus mundi quærens te, & non inveni, quia malè quærebam foris, quod erat intus. *Sol. c.* 31.



S. Auguſtinus Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus ſapientiæ. Poſſid. epiſt. ad Mac.

XXVIII.

S. AUGUSTINUS Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyſſus ſapientiæ. *Poſſid. epiſ. ad Maced.*

QUiſquis, Aureli, fidibus, vel acri
Tibiâ credit memorare laudes,
Ille ſtellato Phaëtontis axem
Ducere cœlo,
Ille ceratis liquidum ſecare
Aërem pennis putet; atque magni
In cavo vaſtas puteo locare
Æquoris undas.
Namque ſpumoſum velut æquor, omni
Parte quod fundo caret, atque ripâ;
Sic inexhauſtâ fuit ille rerum
Plenus abyſſo.
Ingenî excedens acie ſagaci
Cæteros, quantùm rapidi miniſter
Fulminis, turmam reliquam volantûm
Lumine præſtat.
Quô nihil majus, numeriſque cunctis

Plenius mundo Superi dedêre,
Nec dabunt, etſi redeant in orbem
Priſca virorum
Turba magnorum; graviore plectro
Qui ſacras quamvis reſonent ad aras
Tu PATER, *docto ſuperabis ore*
Aureus omnes,
Laureâ frontem redimite caſtâ,
Seu graves nodos, ſalebraſque denſas
Expedis nobis, & amara dulci
Melle perungis:
Seu canum tetram rabiem latrantûm,
Vimque dentatæ Stygis, & ſurores
Impios multo ſodis, enecaſque
Inclyte ferro.
Nec parem certè tibi, nec ſecundum
Vlla cognovit, neque noſcet ætas,
Aureo cuius ſine fine manat
Amnis ab ore.
Tu poli lampas radioſa, denſas
Quæ fugat toto nebulas Olympo;
Tu pruinoſo variè refulgens
Arcus in auro.
Tu micas vernum quaſi liliêtum
Purius primâ nive; tu roſarum

Meſſis, & gemmatus onyx liquenti
Plenus amômo.

Certè quidquid dici potuit, & ſublimi ingenio de Scripturarum Sanctarum hauriri fontibus, à te diſſertum eſt. *D. Hieron.*

Si ſapientia lux eſt, quis in Eccleſiâ Dei ita lucet ut AUGUSTINUS? A ſole omnia aſtra lucent, ab AUGUSTINO omnes qui poſt ipſum fuerunt Doctores ſapientiæ lumen accipiunt. *B. Tohmas à Villa-nova.*

INTELLECTVS ACVMINE INGENII PERSPICVITATE, DISSERENDI COPIA MONSTRVM QVODDAM IN NATVRA FVIT AVGVSTINVS. B. Thom. A villa-nova.

IMmortale decus ſacræ palæſtræ,
Naturæ ultima vis, & unus omne

Quod votis Superos rogamus omnes;
Seu formam video, ingeniq́ue numquàm
Exhauſtum pelagus, pavens, & excors,
Et linguâ quaſi deſtitutus aſto.
O! Sol, ô! pater, & ſator diei,
Quod tuis iubar emicat quadrigis?
Quæ ſuavi magè delicata vino,
Et puro magè præferenda nardo,
Dulci roſcida mella ab ore manant?
O! monſtrum vitio carens, ô! ingens
Torrens eloquij, ô! diſerta Siren,
Et verum genus Atticæ Camœnæ,
Et verum Latiæ genus Süadæ,
Cuius ſedit & illa, & illa labris,
Et parvum ſubitò imbuêre pectus.
Tu felix oleæ, virenſq́ue germen,
Nunquàm non grave prominente baccâ.
Vitem quis neget eſſe te, perennes
Vnde carpimus hinc, & hinc racemos?
Auro ſubrutilans rosêtum, & oſtro,
Vernis ebria liliêta lymphis?
Certè totus es iſta quodq́ue poſſunt,
Quod poſſunt quoq́ue non loqui Camœnæ.
Salve Lux ſine nube, vera cæli
Fulgentis facies, & abſq́ue fundo,
Et vagis ſine fluctibus profundum.

Salve vas ſolidum aureo metallo,
Sabæo redolens acerra fumo.
Tu ſacri baſis, & columna templi,
Tu noſtris panaces, ſalusque morbis.
Quis dignè referat tuos honores,
Hunc quem cernimus æmuli decorem?
Irim, cùm pluvio relucet auro,
Deſcribent citius polique flammas,
Quàm proferre queant tuos honores,
Enarrare tuos ſtilo decôres.

Habuit ſapientiam ſicut arenam maris; ſicut enim arena maris innumerabilis eſt, ſic & libri ejus innumerabiles ſunt. *S. Proſper.*

AUGUSTINUS ſubtilius omnibus volans omnia reſeravit, & ideò meritò Angelus non naturâ, ſed gratiâ nuncupatus. *D. Paulin.*

Vir ſanctiſſimus AUGUSTINUS, inveſtigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, aſſerendi copiâ profluus, eloquentiæ flore venuſtus, ſapientiæ fructu fœcundus. *Concil. Tolet.* 8.



D. AVGVSTINO de deuicta Hæresi.

XXIX.

D. AUGUSTINO de devicta hæreſi.

FAllimur, an curru novus æthera Victor eburno,
Tempora Phœbæâ virgine nexus, adit?
Ecquis, iò, Pæan, vaſti ſuper atria cæli,
Ecquis, iò, clarâ voce, triumphè, ſonat?
Non hic edomitâ Bromius Gangetide terrâ
Lauriger, adjunctis tigribus, aſtra petit.
Non fragilem major molitur Atrida triumphum
Truncandus patrios, heu! miſer ante Deos.
Non ardens ſceptris, rerum inſatiata vorago,
Feſta coronatis Roma triumphat equis.
Sed ſuperas victor ſcandit Pater Aureus arces,
Impoſitis Erebi monſtra premens pedibus.
Aulæis feſtiva micant delubra ſuperbis,
Semita jactatis erubuitque roſis.
Hic Arabum meſſes, Syrios liquat alter odores,
Hujus Achemonios halat acerra focos.
Hoſtica ſpectatis ſpolia, & de Dite ſuperbo
Exuvias, pompæ fercula longa ſacræ?

Cernitis

Cernitis anguineos ut eat demiſſa capillos,
Terribiles ſpirans Hæreſis *ore minas!*
Vincla gravant ærata caput, tamen uſq; ferôci
Tetraque de ſævo corde venena ſpuit.
Ponè ſubit Manes, *ſcelerumque* Pelagius *auth*
Tabida demiſſis ſquallidus ora comis.
Vt frendent, oculisque vibrant hoſtilibus ignes
Laurigeras præiens fœdus uterque rotas!
Infelicem animam ponant, temerâre Deorum
Diſcant impurâ relligione metum.
Hoſtia tam periura ſacras iamiàm imbuat aras
Non eſt Tarpæis dignior ulla focis,
Tu quoque nequitiæ ſemen, Donate, *peribis,*
Donaſti ſocio qui mala verba gregi.
Eià triumphales umbrent tua tempora lauri,
Omnis, Magne Pater, *victima fuſa jacet.*
Victima furva jacet, triſti quam protulit alvo
Styx nigra, Tartareum ſugere ſuêta merum.
Eximijs hæc eſt victoria digna triumphis,
Cæſus ubi unius viribus hoſtis obit.
Cùm rueret Carthago decem ſuccenſa diebus,
Magno Scipiadæ pars quota laudis erat?
Partem plebæus, partemque triarius, huius
Exidij haud parvam, ſi benè reris, habent.

A

At tua, Magne Pater, *ſepoſta eſt laurea ab omni*
Compare, Palladiâ laurea parta manu.

AUGUSTINUS eſt colomna, & firmamentum veritatis, & verè columna nubis, in quâ thronum ſuum poſuit Sapientia Dei. *Rupert.*

O! firmiſſimam Eccleſiæ columnam, ô! magnum fidei propugnaculum; meritò proinde ab Eccleſia malleus Hereticorum nuncupatus. *B. Thom. A Villa-nova.*

Doctor excellentiſſimus AUGUSTINUS, defenſor fidei noſtræ, in divinâ meditatione ſemper aſſiduus, metu mortis intrepidus, deſtruxit ſacrilegos, atque ſuperavit Hæreticos. *S. Hilarius.*

SI CVNCTA CORPORIS MEM- BRA VERTERENTVR IN LIN- GVAS, ADHVC NON ESSE- SVFFICIENS AD LAVDA- DVM TANTVM PATREM, E- DOCTOREM. Poſſid. Epiſt ad Mac

UT teneras inter violas, puriſſima mella,
Prata per, & colles, dædala ſugit apis.
Sic inter flores, inter violaria Amoris,
Lecta meâ ſunt hæc mollia ſerta manu.
Quæ coram Pater alme, *tuis modò ſiſtimus ar*
Munera ſunt merito ſi modò digna tuo.
Eſt impar fortuna meis conatibus undè
Carpere quas poſſum, cogor egenus, opes.
Hoc ſaltem timidã recreatq́ animatq́ Camœ
Conari in magnis, & benè velle, pium eſt.
Ergo libens ſtudij ſpecta donaria noſtri,
Et modulos, venæ languidioris opus.
Si niſi ſe merito gauderent carmine Divi,
Quæ foret æthereo ſat lyra digna choro?
Eöos quoties mea fumat acerra vapores,
Et fero ſupremis lilia flava Dijs.
Si dicant, quid, vane, pijs altaribus infers?
Majeſtas tales nunquid anhelat opes?

Aſſy

Aſſyrio numquid veſci nos credis odore;
Quod magnos paſcat ſtactea myrrha Deos?
Non tamẽ hæc faciunt, tanta eſt clementia, verũ
Exiguo gaudent ſe quoque honore coli.
Dantur in auratâ Cynareia gramina lance;
Dantur & in parvis thurea grana focis.
Agnaq; tam lactens caſtas mactatur ad aras,
Quàm de cornigero capta juvenca grege,
Et Pater oceanus rivos capit ipſe minores;
Et Triviæ cordi eſt baccha vel una Deæ.
Iuppiter (iſta fides priſcis ſi danda Poëtis)
Stramineam ſubijt non ſemel ipſe caſam.
Et poſito faſtu, cepit diſcumbere menſæ,
Vilis ubi cunctum fecerat herba cibum.
Vſque adeò veteres facilem finxere, bonumq;,
Vſque adeò comis creditus ille Deus.
Cùm fugeret regis vires, enſemque Pelaſgi,
Quæſivit ſitiens Perſa Tyrannus aquas.
Sed deſerta ſiti regio, ſolatia nulla,
Arenti nullam terra ferebat opem.
Fortè tamen miles limoſam caſſide lympham
Attulit, & feſſo præbita lympha duci.
Iuravit ſibi nil meliùs, nil gatius unquàm,
Hanc ubi guſtavit rex, potuiſſe dari.
Nos quoque Magne Pater, *tenuem Permeſſidos undam,*
Sertaq; non ullo compta decore damus.

Carpe libens, nec nos vultu aſpernare ſevero;
Qui tuus eſt reliquis, ſit mihi notus amo
Cantabunt alij, quibus haud invidit Apollo,
Virtutes venâ divitiore tuas.
Et te Theiologi referent caput eſſe Lycæi,
Te columen fidei, perniciemque Stygis.
Te Patrem *dicent, à quo, ceu fonte perenni,*
Doctorum ſacris, ora rigantur aquis.
Hæc alij vaſto reſonabunt pectine Vates,
Si poſſint laudes tangere fortè tuas.
Namq; tuæ tam magna fuit facundia lingua
Ingenij quondam flumina tanta tui:
Vt citiùs calthæ Siculâ referantur in Hyblâ,
Quot breve Mopſopiæ ver populantur apes
Quot conchas habet Oceanus, quot fertilis hor
Cultori reddit punica poma ſuo;
Quàm tua promerito referant encomia plectr
Et Suadæ innumeras melle fluentis opes.

Doctor eximius beatiſſimus AUGUSTINUS, debellator Hæreticorum, decu tanquàm fons puriſſimus nullâ fœce pollut *Caſſiodor.*

Quæ virtus, quæ gratia defuit AUGSTINO? Si divina ſapientia quærit
qu

uaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & uaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi ol refulgens in templo Dei. Si ingenij acuien, quaſi cypreſſus in altitudinem ſe attolens: ſi decor virtutum, quaſi vas auri olidum ornatum omni lapide pretioſo. Si haritatis ardor, quaſi ignis effulgens, ſi evotionis fervor, quaſi thus ardens in igne; fructus animarum, quaſi oliva pullulans, i religionis inſtitutio, quaſi plantatio cedri n monte Libano; ſic circa illum multititudo nnumera Religioſorum ſteterunt, & omnes ilij hujus magni Aâron. *B. Thom. A Villanova.*

Sicut Sol excedit omnes planetas; ita AUGUSTINUS omnes Doctores exceſſit in exponendis Scripturis. *Remig.*

Unus AUGUSTINUS omnium Patrum, ſapientiumque ingenia, ac ſtudia exhibet. Si veritatem quæritis, ſi doctrinam, ſi pietatem, quis doctior, quis juſtior, quis, ut ita dicam, ſanctior AUGUSTINO? *Martin. V.*

Ex

Ex ejus ore non ceſſavit fluere flumi impetus contra flumen illud Hæreticoru quod poſt mulierem, id eſt Eccleſiam, ore ſuo draco Diabolus emiſit. *Rupert.*

AUGUSTINUS inter intemeratæ E cleſiæ Doctores præcipuus, & ſubtiliſſim Evangeliorum, & Sacrarum Litteraru perſcrutator. *Sixus IV.*

FINIS.

INDEX

Liber Primus.

I.

ΑΝΑΘΗΜΑ.

MIhi acclamabatur præ multis coætaneis, & conlectoribus meis. *S. Auguſt.* 1. *Conf. c.* 17. fol. 6.

Quot, & quanti fluctus tentationum poſt pueritiam impendere videbantur. 1. *Conf. c.* 11. fol. 9.

I I.

Quid enim ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? *S. Auguſt.* 4. *Conf. c.* 1. fol. 13.

Tu DEUS vidiſti de longinquo lapſantem in lubrico. *S. Aug.* 4. *Conf. c.* 2. fol. 15.

Quoties, ut canis, redij ad vomitum; & quaſi ſus, repetij volutabrum. *Med. cap.* 3. fol. 18.

N III. Re

III.

Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum. *S. Auguſt.* 8. *Confeſſ. cap.* xi. fol. 23.

Exceſſerant caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus. 2. *Conf. c.* 3. fol. 26.

Quàm longè exulabam à delicijs domus tuæ, cùm accepit in me ſceptrum, & totas manus dedi veſanæ libidini. 2. *Confeſſ. cap.* 2. fol. 28.

IV.

Dimiſiſti miſericorditer, ſervans me ab aquis maris plenum execrandis ſordibus uſque ad aquam gratiæ tuæ. 5. *Confeſſ. c.* 8. fol. 33.

Non deficiam, Deus, in confitendo tibi miſerationes tuas, quibus eruiſti me ab omnibus viis meis peſſimis. 1. *Confeſſ. cap.* 15. fol. 36.

Circumſtrepebat me undique ſartago flagitioſorum amorum. 3. *Conf. c.* 1. fol. 38.

V. In-

V.

Inſtabas in occultis meis, Domine, flagella ingeminans timoris, & pudoris. 8. *Conf. cap.* 11. fol. 43.

Delectatus morbo carnis, & mortifera ſuavitate, trahebam catenam meam ſolvi timens. 6. *Conf. c.* 12. fol. 47.

V I.

Nihil me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & judicij. 6. *Conſ. c.* 16. fol. 51.

Non ſanabatur vulnus meum, ſed poſt dolorem acerrimum putreſcebat, & quaſi deſperatius dolebat. 6. *Conſ. c.* 15. fol. 54.

O Monſtrum vitæ, & mortis profunditas! potuítne liberè, quod non licebat, non ob aliud, niſi quia non licebat? 2. *Conſ. cap.* 7. fol. 57.

VII.

Sic ægrotabam, & excruciabar, volvens ac verſans me in vinculo meo. 8. *Conf.c.* 11. fol.61.

Mater pro me quotidie tibi rigabat terram ſub vultu ſuo. 5.*Conf.c.*8. fol.63.

Fieri non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat. 3. *Conf.c.*12. fol.66.

VIII.

Fames mihi erat intus, ab interiori cibo teipſo, Deus meus. 3.*Conf.c.* 4. fol.71.

Dimittiſne nos? Et à momento iſto non erimus tecum ultrà in æternum. 8. *Confeſſ. cap.* 11. fol.74.

Ubi ego eram, quando non quærebam te, Deus meus? Tu eras ante me, ego autem & à me diſceſſeram, nec me inveniebam, quantò minus te? 5.*Conf.c.*2. fol. 77.

IX.

Quamdiu? quamdiu? quare noc hac horâ finis turpitudinis meæ? 8.*Conf. c.* 12. f.81.

Conſue-

Conſuetudo ſatiandæ inſatiabilis concupiſcentiæ me captum excruciabat. 6. *Conf. cap.* 13. fol. 84.

Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferreâ voluntate. 8. *Conf. c.* 5. f. 86.

X.

Tolle, Lege; Tolle, Lege. 8. *Conf. c.* 12. fol. 91.

Ubi eram priuſquàm ſubderem cervicem leni jugo tuo, & humeros ſarcinæ tuæ, Chriſte Ieſu, adjutor meus, & Redemptor meus? 9. *Conf. c.* 1. fol. 94.

Tu non poteris quod iſti, & iſtæ? 8. *Conf. cap.* 11. fol. 97.

X I.

Rapiunt indocti cælum, & nos cum doctrinis noſtris ubi volutamur? in carne, & ſanguine. 8. *Conf. c.* 8. fol. 101

Volutabar in cœno platearum Babyloniæ, tanquam in cinnamomis, & unguentis pretioſis. 2. *Conf. c.* 3. fol. 104.

Væ! væ! præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoſcebam te Domine. *Sol. c.* 33. f. 107.

Liber Secundus.

XII.

Ecce cor meum, Deus, Ecce cor meum quod miſeratus es in imo abyſſi. 2.*Conf.c.*4 fol.113.

Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi. 10.*Confeſſ.cap.*27 fol.115.

In dedecus meum creveram, & conſili medicinæ tuæ demens irridebam,qui me non ſiviſti talem bis mori. 5.*Conf.c.*9. f.118.

XIII.

Quis accepit manum meam, ut ex tenebris quas amabam,me educeret? *Sol.c.*37. f.123.

Tribue mihi ut laudet te cor meum,& lingua mea, & omnia oſſa mea. *Man.cap.*5. fol.126.

Eruis de immaniſſimo profundo quærentem te animam, ſitientem delectationes tuas. 1.*Conf. c.*18. fol.128

XIV.

XIV.

Collocas me in loco paſcuæ ſecùs rivulos dulcium aquarum, ubi præparas in conſpectu meo menſam. *Man.c.9.* fol.133.

Non ſunt in te tenebræ, aut nox, aut quælibet diverſitas temporum. *Med.c.25.* f.136

Bone Jesu, tu mihi melle dulcior es, tu nectare ſuavior, cunctiſque terrarum divitiis, & honoribus charior. *Med.c.35.* fol.139.

XV.

Inebria cor meum ſobriâ ebrietate amoris tui. *Med.c.37.* fol.143.

Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi. 1.*Conf.c.5.* fol.145.

Anima quæ amat Deum, nihil aliud poteſt cogitare, nihil loqui; cetera contemnit, omnia faſtidit. *Man.c.20.* fol.149.

XVI.

Percute, Domine, hanc mentem piâ cuſpide dilectionis tuæ. *Med.c.37.* fol.153.

Bone Jesu, fac ut ſicut flamma urens totus ardeam in tui amoris dulcedine. *Med.c.35.* fol.156.

Quis ego ſum,ut laudem te,Domine,Deus fortiſſime, ſpiritus univerſæ carnis,qui inhabitas æternitatem. *Sol.c.*10. fol.159.

XVII.

Amor ubi venerit,ceteros in ſe omnes traducit & captivat affectus.*Man.c.*18. f.163.

Quæ cantica! quæ organa! quæ melodiæ ibi ſine fine decantantur. *Man.c.6.* f.165.

Expulſus à paradiſi gaudio deploro quotidie miſerias captivitatis meæ, cùm recordor tui Ieruſalem. *Med.c.* 20. fol.168.

XVIII.

Semper in luto jacuiſſem,niſi tu me erexiſſes; ſemper cœcus fuiſſem, niſi tu me illuminaſſes. *Sol.c.*15. fol.173.

Trahe me ad fontem vivum, ut inde bibam, unde ſemper vivam, Deus meus, vita mea. *Med.c.*37. fol.176.

Omnia mihi amareſcant, ut tu ſolus dulcis appa-

appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæſtimabilis. *Sol.c.*22. fol 179.

XIX.

Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, Domine, donec requieſcat in te. 1. *Conf.c.*1. fol.183.

Tædeat me dulcis Jesu, gaudere ſine te, & delectet contriſtari pro te. *Med.c.*7. f.186.

Nullum tam potens, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quàm mors redemptoris mei. *Man.c.*23. fol.189.

X X.

Polum penetrabo mente, & deſiderio tecum ero. *Man.c.*14. fol.193.

Sit mihi nomen tuum Jesu, refocillatio, & memoria tui conſolatio. *Med.c.*7. f.196.

Laudem dicam nomini tuo ſancto ſemper. *Sol.c.*37. fol.199.

X X I.

Fons vitæ, da ſitienti animæ meæ ſemper bibere ex te. *Med.c.*37. fol.203.

Poſſideam te, beatitudo ſempiterna, poſſi-

poſſideam te in medio cordis mei. *Sol.c.*
fol.205.

Renuit conſolari anima mea, niſi de te du
cedo mea. *Med.c.*14. fol.20

XXII.

Amor lubricæ ætatis motus, actuſque lev
coërcet. *Man.c.*19. fol.21

Melius eſt mihi non eſſe, quàm ſine JE
eſſe. *Med.c.*39. fol.21

Bone JESU reple cor meum inextinguib
dilectione tui, ut ſicut flamma urens totus a
deam in tui amoris dulcedine. *Medit. cap.*3
fol. 218.

XXIII.

Tua ſcientia inenarrabilis explicari n
poteſt, quoniam verè inducibilis es. *Med.c.*2
fol.223.

Neminem abjicis, neminem perhorreſc
niſi fortè qui amens te exhorruerit. *Med.c.*
fol.228.

XXIV.

Cor humanum in deſiderio æternitatis n
fixum, nunquam ſtabile poteſt eſſe. *Man.c.*
fol.233.

O Mi

O miſera ſors hominis, cùm hoc perdidit ad quod factus eſt, & invenit miſeriam ad quam factus non eſt, *Man.c.*31. fol. 235

Nihil ſine te placeat mihi pretioſum, nihil ſine te mihi arrideat ſpecioſum. *Meditat.c.*7. fol.239.

XXV.

Sub umbra illius quem deſideravi lætus ſedeo, & fructus ejus dulcis gutturi meo. *Med. cap.*25. fol.243.

Multi, & magni ſunt languores mei, ſed amplior eſt medicina tua. 10. *Confeſſ.cap.*43. fol.246.

Nec dona tua deſeras, nec herbam ſpernas ſitientem te. 11.*Confeſſ. c.*2. fol.249.

XXVI.

Inimicus noſter tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras varijs replevit decipulis. *Sol.c.*16. f.253.

Perdit quod vivit, qui te Deum non diligit. *Man.c.*14. fol. 256.

Ibi dabis mihi ubera, ibi ſatiabis me ſatietate mirifica, ita ut nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. *Med.c.*25. fol.259.

XXVII.

XXVII.

O amor qui ſemper ardes, & nunquàm extingueris, accende me totum igne tuo. *Man c.*10. fol. 263

Tuta, & firma requies peccatoribus in vulneribus Salvatoris. *Man.c.*21. fol.266.

Nihil bonum ſine te, vero ſolo, & ſummo bono. *Sol.c.*13. fol.269.

XXVIII.

S. Augustinus Pater Patrum, Doctor, Doctorum, abyſſus ſapientiæ. *Poſſid. epiſt. ad Maced.* fol.273

Intellectus acumine, ingenij perſpicuitate, differendi copia monſtrum quoddam in natura fuit Auguſtinus. *B.Thom. Avilla nova.* 275.

XXIX.

D. Augustino de devicta hæreſi. f.279.

Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non eſſem ſufficiens ad laudandum tantum Patrem, & Doctorem. *Poſſid. Epiſt.ad Mac.* fol.282.

FINIS.

